



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Fasc. 6

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1723

urn:nbn:de:gbv:46:1-5949

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Sextae

FASCICULUS SEXTUS.



B R E M Æ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

Typis HERMANNI BRAUERI, M D C C X X I I I.

VIRO

*Perquam Reverendo, am-
plissimo, doctissimo,*

**FRIDERICO
GRIMMIO,**

Inspectori Ecclesiarum
Reformatarum Comitatus Hano-
viensis, Senatus Ecclesiastici Sena-
tori & Oraculorum divinatorum in
ecclesia majori Hanoviensi Inter-
preti gravissimo, fidelissimo,
pientissimoque

Sextum hunc supra trigesimum

BIBLIOTHECAE

H V J V S

FASCICVLVM,

amicitiae per quinque
annorum lustra sancte & sine re-
conciliatione cultae pignus
atque *τεμπλιον* inscribit,

*fracto crure, affixus lecto,
infracto animo, affixus coelo*

EDITOR,

Sum-

Summa hujus Fasciculi.

- I. *Job. Christiani* BIEL Animadversiones ad *Job. Georgii ALTMANNI* de *Lydia Thyati-
rensi & Gallicinio Hierosolymis* in aedibus
Pontificis audito observ. p. 1041.
- II. ANONYMI *αλεκτοροφωνιαε* Evangelicae
significatio genuina defensa. p. 1070.
- III. *Job. Christ.* HARENBERGII Exercitatio
de *Crucis* signo, symbolo salutis, frontibus
piorum *Israëlitarum* imponendo ad *Ez. IX.*
4. p. 1080.
- IV. *Bernb. Petri* KARLII de *Apocalypsi*, non
in *Judaismo* jam olim adimpleta: qua non-
nulla quoque ejus *visa* (praesertim de *Dra-
cone & Bestiis*) illustrantur *Diff.* p. 1105.
- V. *Samuelis* WERENFELSII de recto Theo-
logi *Zelo* oratio. p. 1137.
- VI. *Episcopi Londinensis & ELISABETHAE*
Reginae pro *Belgis* religionis causa exuli-
bus ad *Francofurtenses & Dantiscanos* Episto-
lae. p. 1162.
- VII. Indices *Classis* quintae & sextae
 - A. *Auctorum & materiarum* generalior.
p. 1173.
 - B. *Locorum* *Scripturae* explicatorum.
p. 1183.
 - C. *Vocum* *Ebraicarum*. p. 1190.
 - D. *Rerum & vocum* *Latinarum & Grae-
carum*, ut & *Virorum* commemorato-
rum. p. 1192.



בסיעתה רשמינ

I.

Joannis Christiani BIEL

Animadversiones

ad

Jo. Georgii ALTMANNI

de

LYDIA THYATIRENSI

ET

GALLICINIO HIEROSOLYMIS IN

ÆDIBUS PONTIFICIS

AUDITO

Observationes.

ARGUMENTUM.

Introductio §. I. Primum argumentum Altmanni, quo evincere studet, nomen Lydiæ esse proprium, examinatur. An Thyatira Lydiæ urbs. Lydia Joniam Cl. VI. Fasc. VI. 299 ali-

aliquando complexa. *Plinius* notatur. Lydi scortatione infames. Locus Apoc. II, 20. 21. illustratur. §. 2. Secundum argumentum. Nomina quædam gentilia servorum & ancillarum quondam fuerunt propria. §. 3. An sit error, quod purpuræ tingendæ ars Lydis in genere adscribatur, & locus Lucæ de purpuraria Thyatirena inde illustretur. §. 4. 5. An *Salmasius* & *Plinius* de purpura Lydia jam egerint. §. 6. An Thyatireni omnium Asiæ Incolarum superstitionisissimi. Pergamus superstitioni & idololatriæ valde dedita. §. 7. Quinam *σεβόμενοι τὸν Θεόν*. Dicit illi alias *σεβόμενοι* elliptice, & *φοβόμενοι τὸν Θεόν* ex Hebraismo. Loca Act. X, 2. XIII, 15. explicantur. Cur speciatim Lydia *σεβομένη τὸν Θεόν* dicatur. §. 8. Ad Observationem *Altmanni* de Gallicinio Hierosolymis audito accessus. §. 9. Ejusdem recensio. §. 10. Difficultas, quam communis sententia habet, variis modis solvi potest. H. *Relandi* Oratio de Galliantu Hierosolymis audito enarratur, & ab objectione *Altmanni* vindicatur. §. 11. 12. Nova *Altmanni* sententia pluribus & majoribus difficultatibus circumsepta: Prima difficultas. Ἀλέκτωρ non nisi apud Pœtas de buccina reperitur; quos inter non referendi *Theognides* & *Aristophanes* §. 13. An vox *Φωνή* hominum & tubarum, non etiam gallinaceorum sit propria §. 14. Secunda & tertia difficultas. §. 15. 16. Conclusio. §. 17.

§. I.

Admodum probabilis mihi aliquando videbatur Virorum eruditissimorum, *Camerarii* & *Grotii* sententia, quod nomen *Lydia*, quo purpuraria Thyatirena apud Philippenses in-

innotuit, teste Luca Act. XVI, 14. non proprium sed gentile ejus fuerit, & ipsa a solo natali eo sit appellata. Vid. Bibl. Hist. Phil. Theol. Cl. II. p. 411. Sed cum locum postea paulo penitius interspiciens observarem, quod sacer Historicus non scripserit, καὶ πρὸς γυνὴ ὀνόματι ἢ Λυδία, (quod procul dubio scripsisset, si nomen *Lydia* gentilitium purpurariae fuisse, indicare voluisset) sed sine articulo, καὶ πρὸς γυνὴ ὀνόματι Λυδία, ingenue fateor, me de sententia Virorum doctissimorum dubitare, & illis assentiri cœpisse, qui nomen *Lydia* proprium purpurariae fuisse, existimant. Minime enim eorum castra sequor, qui errorem, cui semel calculum adjecerunt, defendere, quam veritatem profiteri malunt. Atque hinc etiam, licet unum vel alterum monere potuissem circa argumenta, quibus clarissimum seculi nostri lumen, præmatura non ita pridem morte cum summo literati orbis dolore extinctum, *Jacobus Haseus* in eruditissima Dissertatione de Inquinatis Sardiensium vestimentis probare annititur, quod nomen *Lydia* non gentilitium, sed proprium purpurariae extiterit, (vid. Bibl. laudat. Cl. III. p. 277.) tamen, cum in re ipsa cum illo conspiraverim, in illis acquievi. Et non nisi silentio quoque exciperem illa, quæ nuperrime Vir doctus, *Jo. Georgius Altmannus* in Observationibus de *Lydia Thyatirensi*, ejusd. Biblioth. Cl. V. p. 670. sqq. insertis, eam in rem mihi opposuit. Sed

eum ille non solum perperam me supposuisse putet, Lydiae nomen esse gentis, sed praeterea etiam errorem nuncupet, quod purpuræ tingendæ artem Lydis in genere adscripserim, imo & alia adserat, quæ veritati minus congrua mihi visa sunt, illam, apud imperitos maxime, detrimenti aliquid accepturam esse, arbitratus sum, si tacite illa omnia praeterirem. Itaque veniam mihi dabit Cl. *Altmannus*, quod in observationes ipsius Animadversiones quasdam scribam.

§. 2. Antequam vero ad illa progrediar, quæ præcipue me moverunt, ut Cl. *Altmano* responderem, quædam notanda video in duobus argumentis ejus, quibus evincere conatur, quod nomen *Lydia*, quo purpuraria apud Philippenses nuncupata est, sit proprium. Primum p. 671. his verbis continetur: *Non video, quare scriptor sacer, si Lydiae nomen appellativum, non proprium esse voluisset, Thyatiram patriam ejus nominasset, dum enim ex Thyatira oriunda dicitur, jam Lydia, h. e. ex Lydia oriunda dicitur.* Hic autem primo quidem urgere nolo, quæ Cl. *Theodorus HASÆUS* ad hoc argumentum notavit; scilicet dubitari adhuc de eo posse, quod dum purpuraria ex Thyatira dicatur oriunda, jam Lydia, h. e. ex Lydia oriunda dicatur, cum nondum evictum prorsus sit, Lydiae urbem fuisse Thyatiram. Licet enim *Plinius* Lib. V. c. 29. Thyatiram inter Joniæ urbes numeret, notum tamen, quod

quod Lydia latiore sensu ipsam quoque Joniam aliquando complexa sit. Vid. *Cel. Vitrinae* Comment. in Apoc. I, 3, p. 12. ad Leucop. in not. Deinde *Plinius*, Thyatiram in Jonia ad Lycum fluvium collocans, falli videtur. Nam *Strabo* Lib. XIII. p. 430. situm ejus curatius describens, illam inter Apolloniam Mysiæ, & Sardes, Lydiæ urbem, sese obtulisse refert. Audiamus verba ejus: Προϊόντι δ' ἀπὸ τῆς πεδίας καὶ τῆς πόλεως ἐπὶ μὲν τὰ πρὸς ἑω μέρη, πόλις ἐστὶν Ἀπολλωνία, μετώροις ἐπικειμένη τόποις. ἐπὶ δὲ τὸν νότον ὄρεινὴ ράχης ἐστὶν, ἣν ὑπερβάσι ἢ βαδίζουσιν ἐπὶ Καρδεων, πόλις ἐστὶν ἐν Ἀρκεσῶν Θυάπειρα, κατωικία Μακεδόνων, ἣν Μουσῶν ἐξάτην πινὲς Φασίν. A Pergamo & planicie progressus versus orientem solem Apolloniam invenies, sublimibus insitam locis. Versus Austrum montosum est dorsum, quo superato, in itinere versus Sardes urbs est Thyatira, Macedonum colonia, quam ultimam Mysorum esse sunt qui dicunt. Hic ergo urbis situs, prout a *Strabone* describitur, cum *Plinio*, longe inferius illam in Jonia ad Lycum collocante, nulla ratione conciliari potest. Et certe *Strabonem* hic majorem fidem mereri, quam *Plinium*, ex eo probabile, quod nonnulli illam Mysorum ultimam esse dixerunt. Ita autem procul dubio dixerunt, quod in finibus Mysiæ fuerit sita. At Mysia Lydiæ, stricte sic dictæ, non autem Joniæ fuit contermina. Ut adeo ex eo, quod *Strabo* referat, Thyatiram nonnullis Mysorum

rum ultimam dixisse pateat quod potius ad Lydiam, quam ad I niam referenda sit. Accedit, quod Plinio etiam contradicant Ptolemaeus, Stephanus, & Auctor veteris notitiæ Episcopatum, quippe qui omnes Thyatiram Lydiæ adscribunt, & cum aliis Lydiæ urbibus conjungunt. Huc forte etiam referas, quod ob scortationem, qua generatim Lydi infames erant, Thyatireni etiam præcipue male audiisse videantur. Eo enim, ni fallor, alluditur Apoc. II, 20. 21. ubi ad Angelum Ecclesiæ Thyatirenæ hæc verba leguntur: Sed habeo adversus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetissam, docere & seducere servos meos, ut SCORTENTUR, & edant ex iis, quæ simulacris immolantur. Et dedi illi tempus, ut resipisceret a SCORTATIONE sua, nec resipuit: Quod vero Lydi, ut omni luxu, ita etiam scortatione infames fuerint, auctores testantur. Athenæus Lib. XII. p. 515. κλέαρχος δ' ἐν τετάρτῃ περὶ βίων. Λυδοί, φησι, ἀπὸ τρυφῆς καὶ ἀδείσους κατασκευασμένοι, καὶ κηφαίους αὐτὸς πειθήσαντες ἐσκιατροφῶντο, τρυφώτερον ἡγησάμενοι τὸ μὴ αὐτοῖς ὅπως ἐπιπίπτειν τὰς τῆ ἡλίας αὐγὰς καὶ τέλει τὸ πόρρω παραγαγόντες ὕβρεως τὰς τῶν ἀλλῶν γυναῖκας καὶ παρθένους εἰς τὸν τόπον, τὸν ἀπὸ τὴν περὶ τὴν Ἄγνεωσαν κληθέντα, συνάγοντες ὕβριζον. καὶ τέλει τὰς ψυχὰς ἀπὸ τῆς λυδίας ἡπάσαντο τὸν ἰῶν γυναικῶν βίον. Clearchus Libro quarto Vitarum: Lydi, ait, vitæ mollitia soluti extruebant pomaria, & in bor-

bortos secedentes umbras sectabantur, delicatius existimantes, si omnino radiis solis non ferirentur. Tandemque sic voluptati succumbebant, ut aliorum, uxores & virgines, in locum certum conductas, quem ob id Ἀγνεῶνα vocabant, stuprarent, & ad extremum, animis prorsus effoeminatis, muliebrem vitam amplexarentur. Herodotus Lib. I. c. 93.
Τῷ γὰρ δὴ Λυδῶν δῆμος αἱ θυγατέρες πορνεύονται πᾶσαι, συνδέγεσθαι σφίσι Φερναίς, ἐς ὃ αἱ συνεικήσασσι, ἴετο ποιέεσθαι. Filia enim populi Lydorum meretricantur omnes, colligentes hoc quastu tantisper dotem, donec nupsierint. Eustathius ad Dionys. Verieg. v. 846. Ἀἱ δὲ Λυδαὶ πορνεύεσθαι πᾶσαι λέγονται, καὶ δῶρα πλείω δίδοναι, ἢ λαμβάνειν. Lydorum autem fœminæ omnes scortari dicuntur, & plura dona dare, quam accipere. Conf. & Suid. in Λυδὸς ἐν μεσημβρίᾳ παιζει, & Casaub. Animadv. in Athen. Lib. XII. c. 3. & Lib. XV. c. 12. Illumque luxum & impudicitiam Lydorum mandato cuidam Cyri præcipue originem suam debere, intelligimus ex Herodoto Lib. I. c. 155. 157. Et sane Apoc. I. c. ad scortationem Thyatirenorum alludi, eo magis verisimile videbitur illis, qui meminerint, quod alias etiam in Epistolis Apocalypticas ad mores ritusque civitatum, ad quas missæ sunt, alludi Eruditis observatum sit. Vid. Alex. Mori not. ad Apoc. II. 7. p. 215. sq. & Jac. Hisei Diff. laudat. p. 272. Itaque Altmano facile concessero, quod Thyatira urbs Lydorum fuerit. Hoc vero non possum non

observare, quod ex argumento ejus nihil amplius colligi possit, quam quod Lucas, dum purpurariam Thyatirenam nomen Lydiae habuisse memorat, eo ipso illam ex Lydia oriundam fuisse, indigere noluerit: atque adeo argumentum illud sententiam, quam adoptaveram, minime feriat. Non enim scripsi, quod Lucas narrans, purpurariam apud Philippenses fuisse, ἐνάματι Λυδία, nomine Lydia, eo ipso illam a solo natali describere, & ex Lydia oriundam fuisse, innuere voluerit; sed hoc saltem adserui, quod nomen, quod Lucas illam habuisse scribit, non proprium sed gentile ejus nomen fuerit, & ipsa apud Philippenses a solo natali eo sit appellata. Si vero ex eo, quod scriptor sacer purpurariam Thyatira oriundam referat, atque eo ipso jam Lydiam, h. e. ex Lydia oriundam innuat, Altmannus aliquid amplius colligere, & probare velit, quod nomen Lydiae, quod idem sacer Historicus illi tribuit, non gentilitium sed proprium esse possit, viderit, an non argumentatio ipsius eodem modo sese habeat, ac si aliquis de Bugenhagio, qui a gente Pomeranus subinde dictus est, scriptum reperiret: *Et erat Brunsvigae Theologus insignis, nomine Pomeranus, Wollino oriundus; & ex eo, quod Wollino dicatur oriundus, colligere vellet, quod ibi nomen Pomeranus non gentilitium, sed proprium esse possit.*

§. 3. Alterum argumentum *Altmannus* p. 672. desumit ex eo, quod alias passim nomen *Lydiæ* tanquam proprium occurrat. Sed si aliud non adesset indicium, quod *Lydiæ* nomen proprium magis, quam gentile purpurariæ fuerit, illud certe solum haud facile me moveret, ut *Grotii* & *Camerarii* partes desererem. Non enim sequitur: nomen *Lydiæ* proprium fuit nonnullarum mulierum, ergo etiam apud *Lucam*, ubi purpurariæ *Thyatirenæ* tribuitur, pro tali habendum est. Sic *Hegetia* olim fuit proprium ancillarum nomen, & *Thrax*, *Saces*, *Geta*, *Syrus*, *Lacon*, *Carrion* &c. Servi subinde veteribus appellati sunt, ut præter eruditissimum *Relandum* *Diff. Misc. P. II. p. 194.* observant Auctores liberali manu citati celeberrimo *J. C. Wolfio* not. ad *Pseudo-Orig. Philosoph. p. 19.* sic hodie etiam nonnulli dicuntur *Bremer*, *Hamburger*, nemo tamen inde inferet, quod cum alias nomina illa occurrunt, semper pro propriis accipienda sint.

§. 4. Sed hæc missa faciamus, & videamus, an *Altmannus* p. 673. felicius errorem appellaverit, quod purpuræ fingendæ artem *Lydis* in genere adscripserim. Qui vero hoc errorem potest appellare, quod luculentis veterum testimoniis evictum est? Nonne enim ostendi, quod non solum tinctura *Lydorum* *Sardianica* fuerit celebris, sed etiam foeminae *Lydorum* in genere ebur purpureo

colore eleganter tinxisse memorentur? Nonne etiam ex *S holiaste Homeri* probavit Eruditissimus *Jac. Hiseus* Diff. cit. p. 280. quod in regionibus *Lydiæ & Cariæ optimæ* olim fuerint tingendi officinæ? Nonne idem multa alia adduxit, quæ sententiam meam, judice Celeberrimo Fratrem ejus, *Theod. Hassæo*, in nota, *Altmanni Observ.* p. 671, subjuncta, egregie confirmant? Immo nonne ipse *Altmannus* p. 676. *purpuræ apud Lydos usum & officinas extra Thyatirâm passim extantes aperte* profitetur?

§. 5. Sed postea errorem meum, quem sibi finxit Vir doctus, eo restringere videtur, quod ad locum *Luçæ* explicandum de purpuræ fingendæ arte apud *Lydos* in genere differuerim. En ipsa ejus verba: *Cum vero Cl. Bielius supposuisset, Lydia nomen esse gentis, ut nunc contrarium probatum est, ei exinde alius error, quod pace Viri docti dixerim, natus est purpuræ scil. tingendæ (sic enim scripsisse videtur profingendæ) ars Lydis in genere adscripta; cum melius & commodius, ne dicam ad Luçæ locum explicandum aptius Thyatiræ urbis incolis in hoc loco tantum tribui potuisset. Cum Sponium (a) secutus*

(a) Huic enim observationem suam debet. Nam *Sponius* in *Miscellan. Erud. Antiqu.* ad vocem *Βαφείς* in monumento *Thyatireno* p. 113. ita notat: *Tinctores, qui Thyatirâm inhabitabant, hoc sculpi marmor curaverant. In ea forte urbe purpura tingebantur qua-*

cutus ex inscriptione quadam colligisset, apud Thyatirenos purpuræ tingendæ artem floruisse, p. 676. hæc addit: *Videmus ergo, quod non opus sit, de purpuræ apud Lydos usu & officinis extra Thyatiram passim exstantibus excurrere.* Sed primo, si hæc ejus mens fuit, in verbis prioribus paulo clarius illam exprimere, & quod artem tingendæ purpuræ Lydis in genere adscripserim, minime errorem appellare debuisset. Deinde, nec in hoc me errasse puto, quod ad locum Lucæ illustrandum de purpura Lydia in genere differuerim. Nam omnes æquos rerum judices appello, annon verbis sacri Historici, *Lydiam purpurariam e Thyatiris Lydiae urbe, oriundam memorantis, lucis inde aliquid accesserit.* Et ex ipso quærere liceat Altmanno, annon inde in sententia sua, qua in inscriptione Thyatirena, unde locum Lucæ illustrat, per βαφεῖς (perperam procul dubio typographus excudit βαφεῖς) cum *Sponio purpurarios* intelligit, multum sit confirmatus. Et quis unquam multis aliis Interpretibus vitio vertit, si specialiora generalioribus declararunt, præsertim, si illa aliter satis declarari non potuerint?

§. 6. At pergit Altmannus notare *Differatiunculam meam & lectoribus persuadere cupit,*

quarum commercium trahebant Lydia illa Thyatirena Philippis a Divo Paulo ad Christi fidem conversa Act. Apost. cap. 16.

cupit, supervacaneam plane operam meam in ea fuisse, cum alii jam illa, quæ de purpura Lydia in medium ibi attuli, pertractaverint. Nam verbis modo adductis: *Videmus ergo &c.* statim subjungit: *Imo hæc omnia a modernis Philosophis jam sunt occupata, amplius enim illa de re, & ut solet, eruditus Cl. Salmasius est in Exercit. P. in. p. m. 193. 806. 817. &c. imo Plinius ipse Lib. IX. cap. 36.* Sed aliter de qualicumque opera judicavit aliquoties laudatus *Jac. Haseus* Diff. cit. pag. 275. ad cujus verba *Altmannus* se ablegari patiatur. Et certe *Salmasius* passim quidem multa profert de purpura sed purpura Lydia, frustra apud illum quæritur. *Plinius* etiam de purpura & murice in genere quidem differit, sed ne quidem de Lydorum purpura habet.

§. 7. Cum ita, ni fallor, satisfecerim monitis Viri docti in Dissertationem meam, liceat mihi quoque mentem meam de explicatione ejus, quam de verbis *Lucæ*, quibus purpuraria *σεβομένη τὸν θεὸν* appellatur p. 676. addidit, exponere. Scilicet existimat, verba illa *contradistincte ad Lydiæ conterraneos, omnium Asiæ incolarum supersticiosissimos, intelligenda esse.* Sed hic primo quidem non video, cur conterraneos Lydiæ omnium Asiæ incolarum supersticiosissimos appellat. Certe multi alii Asiæ urbium incolæ & totidem Deos Deasque, & eadam superstitione coluerunt, quot *Thyatirenis* culti sunt. Imo *Andreas Cesariensis* & *Are-*

Arethas, *Grotius* & *Hammondo* ad *Apoc.* II, 13. citati, affirmant, Pergamum fuisse κατειδωλον ὑπὲρ τὴν Ἀσίαν πᾶσαν, idolorum cultui superstitione deditam (ut quidem *Grotius* & *Hammondus* vocem κατειδωλον exponunt, vel ut reddere malim cum *Is. Casaubono* & *Gottfr. Oleario* *Diss. de Gest. Pauli in urbe Ath.* p. 6. idolis quasi confitam & refertam) supra omnes Asiae urbes. Et praeter *Aesculapium* Pergamenos *Minervæ* etiam, *Romæ*, *Jovi*, *Telesphoro*, *Coronidi*, *Hygiæ*, *Veneri*, *Cabiris*, imo postea quoque *Imperatoribus Romanis*, *Augusto*, *Trajano*, *Tiberio* cultum exhibuisse, præclare ostendit *Er. Theod. Haseus* *Diss. de Throno Satanae apud Pergam* quæ *Bibliothecæ hujus Class. III.* exornat, p. 105. sqq. *Inscriptio* vero *Thyatirenorum*, (b) quæ *Bona Fortune*, & *Dei Tyrimni* præ se nomen fert, quamque adfertum suum de *Thyatirenis*, omnium *Asiae incolarum* superstitionissimis, maxime probare scribit *Altmannus*, id quidem minime probat.

§. 8. Deinde σεβόμενοι τὸ ὕ θεὸν dicebantur illi, qui ex gentibus circumcisionem quidem & alios *Judæorum* ritus non receperant, tamen abjurata idololatria verum cum illis Deum colebant, & reliqua *Noachidarum* præcepta observabant, propterea etiam in Syn-

(b) Non legitur in illa ΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΠΡΟΠΑΤΟΡΟΣ &c. ut *Altmannus* p. 673, scripsit, sed ΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΠΡΟΠΑΤΟΡΟΣ.

Synagogis locum, quamvis a Judæis distinctum, habebant. Judæorum Magistri illos appellant שַׁעֲרֵי נְרִי *profelytos portæ*, vel תּוֹשְׁבֵי נְרִי *profelytos inquilinos*, quod eodem modo sese habebant, quo peregrini gentiles, qui tanquam inquilini in terra Israelis vivebant. Nam omnes gentiles, qui in portis Israelis habitabant siue servi essent bello capti, siue aliunde acquisiti, falsis Diis suis renunciare, & verum Israelis Deum colere debebant, sed legem Moïsis ultra Noachidarum præcepta observare, non obligati erant. Ab his igitur postea omnes alii gentiles, ubicunque viverent, si ad cultum veri Israelis Dei accesserant, *Profelyti portæ*, vel *Profelyti inquilini* Judæis dicti sunt. Eorumque tempore Apostolorum in omnibus civitatibus & locis gentilium, ubi Judæi Synagogas habebant, magnus erat numerus; quemadmodum & Synagogis eorum, ut legis & Prophetarum lectionem & explicationem audirent, frequenter intererant. Talis Corinthi erat Justus, de quo Act. XVIII, 7. *Et transiens inde (Paulus) veniebat in domum cujusdam nomine Justus, σεβομένην τὸν θεόν, colentis Deum, cujus domus contigua erat Synagoga.* Tales etiam alias subinde nomine σεβομένων, καὶ ἔκειψιν pro σεβομένων τὸν θεόν Novi Foederis scriptoribus appellantur. Ita Act. XIII, 43. *Soluta autem Synagoga multi Judæorum, καὶ τῶν σεβομένων προσηλύτων, ἅ τῶν profelytorum (Deum) colentium Paulum ac Barnabam sequebatur.* Et v.

50. *Judei vero extimulabant τὰς σεβομένας γυναῖκας ; mulieres (Deum) colentes. Act. XVII, 4. Et quidam ex eis (Judæis Thessalonicensibus) credebant, ἔτιντες ἐν τὰς partes transibant Pauli ἔτιν Silæ, τῶν τε σεβομένων ἑλλήνων πολὺ πλῆθος, ἔτιν Græcorum (Deum) colentium magna multitudo. Et v. 17. Disputabat igitur (Paulus) in Synagoga cum Judæis, καὶ τοῖς σεβομένοις, & illis, qui (Deum) colebant. Imo tales etiam φοβόμενοι τὸν θεόν, & quidem ex Hebraismo, quod aliis observatum non memini, dici solent. Nam verbum כָּרָא, quod Hebræis proprie notat timere, aliquando ponitur colere, & propterea etiam Alexandrinis Interpretibus per verbum σέβασθαι, colere, reddi solet. Ita Jos. XXII, 25. Et avertent liberi vestri liberos nostros, תא כָּרָא יללל תהי לנא מὴ σέβωνται κύριον, a cultu Domini. Jon. I, 9. Servus Domini ego sum, Dominum Deum cæli, ego כָּרָא σέβωμαι, colo, qui fecit mare ἔτιν terram. Sic & σέβασθαι pro כָּרָא, quod proprie timorem significat, apud Alexandrinos legitur Jes. XIX, 13. atque inde repetitur Matth. XV, 9. ubi ita : μάτην δὲ σέβονται με, Frustra me colunt, docentes præcepta ἔτιν doctrinas hominum, Eo igitur sensu etiam Cornelius, centurio Cæsariensis; quem profelytum fuisse gentilium, extra dubium est, dicitur φοβόμενος τὸν θεόν, colens Deum, Act. X, 2. Pariter, cum Paulus Act. XIII, 16. Antiochiæ in Pisidia multitudinem in Synagoga compellasse dicitur : Viri Isralitæ, καὶ οἱ φοβόμενοι τὸν θεόν, & v.*

& v. 26. Viri fratres, filii generis Abrahæ, καὶ οἱ ἐσὶ ὑμῖν φοβέμενοι τὸν θεόν, hos eosdem esse qui σεβάμενοι τὸν ἰσθὲν, colentes Deum, sive Profelytos gentiles, qui abjurata idololatria verum Deum colebant, patet ex v. 43. ubi iidem τῶν σεβομένων προσηλύτων, profelytorum (Deum) colentium nomine discrete appellantur. Ex his igitur luculenter apparere existimo, quod & Lydia σεβομένη τὸν θεόν, colens Deum, non tam contradistincta ad contrerraneos suos, & quasi illi præ ceteris Asiæ incolis idola superstitione coluerint, sed potius contradistincte ad omnes illos, qui non Deum, unum illum atque verum Deum, sed Deos colebant, sive quod inter Profelytos nomen dederit, & rejectis omnibus gentilium idolis verum Israelis Deum coluerit, dicatur. Plura vero, qui de σεβομένοις τὸν θεόν, scire cupit, adeat Josephum Medum Diatr. in Var. Script. Loca Lib. I. Diatr. 3. Petrum Jurieum Hist. Dogm & Rit. Eccles. P. I c. 6. 7. & Celeberrimum Lipsien- sium Præsulem, S. m. Deylingium Obs. Sacr. P. II. p. 352. sqq.

§. 9. Ceterum observationes Altmanni de Lydia Thyatirena in memoriam mihi revo- carunt dubia, quæ, cum aliam ejus de Galli- cinio Hierosolymis in ædibus Pontificis audito ob- servationem in Bibliothecæ hujus Cl. V. p. 451. sqq. legerem, enascebantur. Nec ægre illum laturum esse, confido, quod hoc simul occasione illa in medium afferam.

§. 10. Aliorum autem Philologorum de gallicinio illo sententiis recensitis, & difficultatibus earum indicatis, observat Vir doctus vocem ἀλέκτωρ non tantum gallum gallinaceum, sed & buccinam & buccinatorem apud Græcos passim significare, eaque significatione vocem & in historia passionis Jesu Christi venire putat, ita, ut Petrus non gallum galinaceum cantantem, sed buccinatorem Romanorum stationarium, vigiliis committentem, audiverit.

§. 11. Sed, communem Interpretum sententiam quod attinet, qui per ἀλέκτωρα gallum gallinaceum intelligunt, difficultas certe, quæ ex Judæorum lege de gallis gallinaceis, in urbe sancta non alendis, illi exoritur, non est tanta, ut propterea discedere ab illa necesse sit. Illam enim variis modis solvi posse, erudite ostendit Celeb. *Hadrianus Relandus* in *Oratione de Galli cantu Hierosolymis audito*, Roterodami A. 1709. 8. edita, p. 18. sqq. Forte autem non ingratum erit illis, quibus *Orationem* istam, in nostris oris rarius obviam, consulere haut licet, si inde illa, quæ huc faciunt, enarravero. Itaque (α) docet Vir doctissimus, potuisse vocem galli, extra Hierosolymas editam, ad ipsam urbem & aures Petri deferri. Situm urbis, quæ diversis montibus insederit, non parum huc facere, & ipsum noctis tempus, quo soni multo longius, quam interdiu, propagentur.

Ventos quoque, cantum galli clarius & fortius ad aures Petri deferentes, multum augere vim soni & provehere potuisse. Sic patere ex *Silio Italico* Lib. XIV. quod in Sicilia audiri possint voces gallorum, qui in Italia canant, & *Plinium* Lib. VI. c. 1. ubi de Bosphoro agat, Asiam ab Europa dividente, tradere, *alium cantus canumque latratus invicem audiri: vocis etiam humanae commercia*, inter duos orbis manente colloquio, nisi cum id ipsum auferunt venti. Idem hodie de Constantinopoli narrari, illic gallos in Asia canentes audiri. Si igitur cives Constantinopolitani in urbe sua gallos, in opposito Asiae litore cantantes, audire possint, minime mirum nobis videri debere, Petrum Hierosolymis galum, extra urbem canentem, audivisse. Quaecunque enim in regione urbis aedes Pontificis maximi, Caiphæ, fuisse credantur, propiores certe illas fuisse moenibus urbis, quam Asia Constantinopoli. Sique in monte Zion eo loco fuerint sitæ, quo eas collocet *Villalpandus*, qui triginta annos describendo templo & urbi Hierosolymitanæ impenderit, vix tribus stadiis a turri Hippico, ipsisque muris civitatis illas abfuisse.

(β) Dicitur etiam posse, legem de non nutriendis in urbe gallis latam esse solis Judæis. Id rem ipsam, & finem legis declarare. Datam fuisse, ne in urbe, ubi sancta, quæ dicuntur *leviâ*, portio scilicet ex sacrificiis salu-

lutaribus privatis, agnus paschalis, decima
 animantium, decimæ secundæ & fructus
 plantæ quadriennis comedi ab Israelitis debue-
 rint, contactu reptilium, quorum partes
 galli gallinacei ex terra unguibus eruere pos-
 sent, contaminarentur. Itaque, quod Hiero-
 solymis fuerit interdictum Israelitis, id ipsum
 per universam terram sanctam prohibitum
 fuisse sacerdotibus: quod non in metropoli
 solum, sed per omnem terram Israeliticam
 licuerit sacerdotibus primitias frugum Hebræis
 תרומות dictas, comedere. Quare, etiamsi
 Judæis non licuerit gallos Hierosolymis alere,
 hoc ad Romanos, quibus eo tempore Judæi pa-
 ruerint, non pertinuisse. Metū non fuisse, si vel
 Pilatus, vel alius quispiam Romanorum gallos,
 in cavea inclusos, aluerit, inde cibos sacros Ju-
 dæorum immunditiam contracturos. Quum
 enim ipsi tam sollicitè caverint, ne ingressi
 in prætorium Pilati polluerentur, inepti vi-
 delicet futuri ad comedenda sacra, multo ma-
 gis illos cibos sacros conservare a pollutione
 immunes potuisse. Nec credibile esse (licet
 de Antiocho, rege Asiæ, constet, eum ve-
 tuisse Hierosolymis alere animantia Judæis
 interdicta) procuratorem Pilatum, cujus
 militaria & effigiem Cæsaris in urbe ferre no-
 lentibus, mortem minatus sit, nec arario
 sacro manus abstinerit, aliosque Romanos,
 qui cum ipso Hierosolymis vixerint, voluisse
 gallorum usu abstinere in Judæorum gratiam,
 & his gulæ deliciis mensam privare.

liter porcos alere, Israelitis omnibus, terram sanctam inhabitantibus, fuisse interdictum. Legi tamen Matth. 8. Gadarenos, qui partem hujus regionis incoluerint, quique, ut ex *Josepho* pateat, non Judæi sed gentiles fuerint, sues pavisse. Sicuti igitur contra decretum senatus Judaici in terra sancta porci nutriti sint, ita quoque gallos Hierosolymis.

(γ) Romanos bellicam rem administrati nisi auspiciato noluisse. Hinc illos, qui ad provincias missi sint, pullos, ut ubique auspiciis uti possent, caveæ inclusos secum tulisse. Si itaque Pilatus, hunc morem secutus, pullos Hierosolymis auspiciorum causa nutriverit, vel ex iis etiam Petrum canentem aliquem audire potuisse.

(δ) Eam fuisse conditionem perditorum illorum temporum, ut hi ipsi inter Judæos, quorum fuerit leges patrias & consuetudines tueri, reges nimirum, pontifices maximi & senatores, eas turpiter neglexerint, atque adeo minus credibile esse, quod illi, qui contra Dei ipsius voluntatem in homines rerum omnium rudes, sceleratos, nec ex legitima stirpe profectos, pontificatum contulerint, qui circos & amphitheatra ad cursus & venationes in urbe, a summo Numine præ omnibus totius universi civitatibus suo cultui sacrata, erexerint, qui incestis conjugiiis & libidinibus se inquinaverint, quibus denique nihil unquam

quam nefas fuerit, dummodo potentiam aut opes potuerint consequi, legem de non alendis in urbe gallinaceis sanctius observasse.

(ε) Verba legis ipsius prohibere duntaxat gallos alere, non vendere, nec comedere. Dicit ergo posse, hunc quoque gallum ex illorum numero fuisse, qui venditi, ut mensæ iis extruerentur, Hierosolymas delati sint, & ea nocte, quæ suprema illi fuerit, vocem consuetam edidisse. Ipsos etiam Judæos fateri, gallos aliquando Hierosolymis fuisse, quum lapidibus obrutum illum narrent, qui puerum necaverit. Rem quidem hanc fuisse singularem, tamen, quod tunc contigerit, alio quoque tempore ob diversas causas contingere potuisse.

(ζ) Denique suspicari aliquem posse, legem de non nutriendis in urbe gallis post id tempus latam fuisse, quo Petrus gallum canentem audiverit. Spectasse illam unice ad conservandam puritatem ciborum. Doceri autem nos in sacris literis, Judæos temporibus illis, quibus Sospitator noster in his terris vixerit, maxime studiosos fuisse munditiæ, & præcipuam partem cultus divini in ea posuisse. Quæcunque etiam hac de re in Talmude decreta extent, doctoribus illis accepta ferri, qui non multo ante templi secundi excidium vixerint: quamvis illa Judæi ab ultima inde antiquitate repetant, & illos, quorum nomina legum tituli præferant, non ut au-

dores, sed testes laudent. Videri ergo Judæos tunc studio singulari in id incubuisse, ut pura ab impuris sollicitè secernerent, & ea sciscerent, quæ ad servandam puritatem locorum, hominum, vestium, atque ciborum conferre existimaverint. Præcipue autem huic rei operam dedisse Phariseos, quorum secta, non ita diu ante Christi ætatem orta, paulatim majora incrementa ceperit, duce imprimis Hillele, concilii Hierosolymitani præside, qui Christo vivente hoc munus obierit, donec universum populum superstitione sua infecerit. Adeoque posse illam legem de gallis non alendis serius esse latam, quam Christus mortem oppetierit, & si hoc modo tempora distinguamus, scriptores sacros & magistros Hebræorum pugnantia non fuisse locutos.

Videmus ergo, quod difficultas illa, quam lex Judæorum de gallis in metropoli Palæstinæ non educandis sententiæ illorum, qui per *ἀλέκτες*, a Petro auditum, *gallum gallinaceum* intelligunt, concitat, haut una via e medio tolli possit, atque adeo nulla necessitas nos cogat, ut propriam vocis *ἀλέκτες* significationem in historia Evangelica deseramus.

§. 12. Equidem Cl. Relando, adferenti, quod gallus, extra Hierosolymas canens, in urbe a Petro audiri potuerit, respondet *Altmannus* p. 453. incertum esse, an domus Ponti-

tificis adeo contigua fuerit mœnibus, ut gal-
 lus, extra mœnia cantans, in tanto strepitu,
 in tanto Judæorum, inconditum clamorem
 tollentium, inque militum tumultu exaudiri
 potuerit. Sed licet incertum sit, & argu-
 mentis omni exceptione majoribus demon-
 strari nequeat, quod domus Pontificis adeo
 contigua fuerit mœnibus, ut gallus, extra
 mœnia cantans, ibi audiri potuerit, probabi-
 le tamen est ex *Vitalpandi* sententia. Imo
 perpendere præsertim debuisset *Altmannus*,
 quæ *Relandus* docuit, quod in quacunque re-
 gione urbis ædes Pontificis maximi fuisse cre-
 dantur, tamen illæ propiores fuerint mœni-
 bus urbis, quam Asia Constantinopoli, ubi
 gallicinium inde audiri possit; & tam situs
 urbis Hierosolymitanæ, quæ diversis monti-
 bus insederit, quam venti efficere potuerint,
 ut Petrus gallum, extra muros canentem,
 audiverit. At strepitum maxime urget *Vir*
 doctus, & Judæorum, inconditum clamo-
 rem tollentium, militumque tumultum, nec
 per illum fieri potuisse putat, quod cantus gal-
 li, extra muros obvii, ad aures Petri delatus
 sit. Sed, licet strepitum aliquem atque cla-
 morem in atrio summi Pontificis fuisse, facile
 concedam, tamen illum intervalla sua habuis-
 se, & non semper æque magnum & vehe-
 mentem fuisse ex eo colligas, quod alias ne-
 que examen cum Christo institui, nec falsi te-
 stes de illo audiri potuerint. Deinde Pe-

trus prima vice gallum non in ipso atrio summi Pontificis, sed extra illud in vestibulo audivit. Hoc enim diserte testatur Marcus cap. XIV. v. 68. καὶ ἐξῆλθεν ἔξω εἰς τὸ προαίλιον, καὶ ἀλέκτωρ ἐφώνησε. Et exibat foras in vestibulum, & gallus cantabat. Et secunda vice Petrus gallum quidem audivit in atrio, sed non eo loco, ubi confessus erat Synedrii, & strepitus præsertim atque tumultus excitabatur, sed in exteriori ejus parte, ubi servi & ministri stabant, & ad prunas sese calefaciebant, quæque ut *Maldonatus* putat ad Matth. XXVI, 69. fuit sub dio, atque adeo ibi eo facilius cantus galli, extra urbem occurrentis, ad aures ejus pervenire poterat. Esto autem, quod illo modo Petrus gallum canentem audire non potuerit, tamen *Cl. Relandus* non illi soli insistit, sed potius, ut vidimus, ostendit, quod varii modi concipi queant, quibus audire potuerit. Et miror, quod *Altmannus*, cum ad unum responderit, reliquos dissimulaverit, & sicco, quod ajunt, pede præterierit.

§. 13. Sicuti autem jam omnis difficultas, quam vulgaris sententia de gallo, a Petro audito, habere videbatur, evanuit, ita nova *Altmanni* explicatio pluribus & longe majoribus difficultatibus circumsepta est. Nam licet apud Poetas quosdam ἀλέκτωρ de tibia usurpetur, tamen apud historicos & alios criptores vox de illa non legitur. Non autem credibile est, quod, cum historici & re-

rum

rum præsertim Romanarum scriptores buccinam & buccinatores alius semper vocabulis exprimant, historici sacri, qui alias simplici ubique & plana dictione utuntur, soli improprie ita locuti sint, ut buccinatorem ἀλέκτωρα vocaverint. Sane speciem quandam nova Altmanni explicatio haberet, si vel unicum ex historicis profanis locum produxisset, ubi ἀλέκτωρ buccinam vel buccinatorem significet. Imo si Poetarum loca inspicimus, quæ pro sententia sua Vir doctus in medium affert, certe non omnia illa probant, quod probare debent. Nam locum Theognidis quod attinet, quid, quæso, impedit, quo minus ibi ἀλεκτρούωνας in proprio significato de gallis gallinaceis accipiamus. En verba, quibus Poeta v. 861. 862. meretricem ita loquentem introducit:

Ἐσθλείη τ' ἔξειμι, καὶ ὄρθρην αὐθις ἔσσιμι,
 Ἡμεῖς ἀλεκτρούωνων φθόγγῳ ἐγειρομένων.
*Serotinaque egredior, & summo mane rursus
 ingredior,
 Cum gallorum vox auditur expergiscen-
 tium.*

Imo proprium significatum ibi non modo nihil impedit, sed præterea etiam suadet, quod alias summum mane, sive tempus, quod ante lucem & auroram labitur, a gallorum cantu describi solet. Quam in rem non est quod repetam loca observata Viris summis Bocharto Hieroz. P. II. L. I. c. 17. p. 121. & Relando

Orat. laudat. p. 15. qui etiam p. 16. ἀλεκτρυόνας in *Theognidis* loco de gallis interpretatur. Similiter nihil impedire puto, quo minus & in illis Comici Vesp. v. 100. sq.

Τὸν ἀλεκτρυόνα δ', ὃς ἤδ' ἐφ' ἑσπέρας, ἔφη,
Ὡς ὅψ' ἐγείρειν αὐτὸν ἀναστεπαισμένον

Παρεῖ τῶν ὑπευθύνων ἔχοντα χρήματα,

per ἀλεκτρυόνα gallum intelligamus. Nam galli etiam interdum vespera cantare solent.

§. 14. Nec juvat *Altmannum*; quod ad explicationem suam apud Evangelistas roborandam notet, vocabulum φωνή non gallinaceorum, sed hominum & buccinarum vel tubarum proprium esse, & Græcos aliter cantum galli exprimere solere. Nam φωνή in genere significat sonum, qui ab aliquo in aere excitatur, & hinc speciatim tam de voce humana, quam de brutorum, imo & rerum inanimatarum voce usurpatur. Sic apud Alexandrinos Interpretes φωνή, Hebr. שִׁיר respondens, tribuitur gregi & bobus 1. Sam. XV, 14. leonibus Jer. II, 15. struthioni Eccles. XII, 4. turturi Cant. II, 12. equo Jer. IV, 29. & si res inanimatas spectemus, tonitruum Exod. IX, 24. 29. sq. folio agitato Lev. XXVI, 36. fluviis & aquis multis Ps. XCIII, 3. 4. Sic & verbum φωνεῖν de feris & corvis Soph. II, 14. & de perdice Jer. XVII, 11. legimus. Pro generali ergo notione, quam vocabulum φωνή habet, non hominum duntaxat & buccinarum, sed etiam, ut aliorum animalium, ita galli-

naceorum quoque est proprium. Et licet profani Græcorum scriptores aliis vocabulis ut plurimum cantum gallinaceorum expriment, tamen vocabula illa sunt verbo, quo scriptoribus sacris exprimitur, *ισοδυναμῆνται*. Ita *φθέγγεσθαι*, quod idem est ac *φωνεῖν*, sonum edere, reperitur de gallis apud *Aristophanem*, Conc. v. 391.

Ὁὐδ' εἰ μὴ διὰ τοῦτ' ἦλθες, ὅτε τὸ δεύτερον.

Ἄλεκτροῦν ἐφθέγγετο.

Neque per Jovem si tunc venisses, cum secundo Gallus canebat.

Notum quoque adagium vetus apud *Paroemiographos*: Πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτροῦν ἐφθέγγετο. Priusquam gallus secundo canat, i. e. summo mane. Conf. *Erasm. Chiliad*, III. cent. 7 n. 66. Ut alia ejus generis loca jam taceam. Nec facile negaverit *Altmannus*, quod per ἀλεκτοροφωνίαν, cujus *Marc. XIII, 35*. fit mentio, *gallicinium* intelligendum sit. Quemadmodum & in *Philoxeni Glossis* Ἀλεκτροφωνία exponitur *gallicinium, galli cantus*.

§. 15. Deinde *Altmanni* sententia propterea etiam stare minime potest, quod inde sequatur. Petrum jam prima nocte Christum ter abnegasse. Hoc ut planum fiat, observandum, noctem in castris & stationibus Romanis in quatuor vigiliis ad clepsydram fuisse divisam, & singulas vigiliis in tres horas; sub initium quoque singularem vigiliarum signum buccina datum esse, ut milites, qui excubias

age.

agere debebant, excitarentur. Vid. *Lipſius* de Milit. Rom. Lib. V. Dial. 9. p. 275. ſq. Obſervandum porro, quod Chriſtus juxta Marc. XIV, 30. 72. Petro prædixerit, fore, ut ter ipſum abnegaret, πέν η δὲ ἀλέκτορα φωνῆσαι, & juxta hanc prædictionem ἀλέκτωρ poſt primam abnegationem prima vice, & poſt tertiam ſecunda vice cantaverit. Vid. v. 68. ſqq. Jam ſi per ἀλέκτορα buccinatorem intelligamus, vigilias committentem, omnino ſequeretur, quod Petrus ſub ipſum noctis initium, quo primæ vigiliæ ſignum buccina datum eſſet, prima, & tertia vice, antequam ſecundæ vigiliæ ſignum auditum eſſet, Chriſtum abnegaverit. Hoc vero hiftoriæ Evangelicæ plane repugnat. Ex illa enim patet, quod Chriſtus ὀψίας γενομένης cum vefpera jam adveniffet, id eſt, in ipſo occaſu ſolis cum Apoſtoliſ paſcha demum celebraverit, & poſtmodum tam multa alia nocte illa geſta fuerint, ut Petrus ante profundam & concubiam noctem vaticinium Domini ſui non impleviſſe, ſtatu poſſit. Conf. *Bochart*. Hier. P. II. L. I. c. 17. p. 122.

ſ. 16. Denique, quomodo *Altmannus* Marcum, ante ternam abnegationem Petri ἀλέκτορα bis cantaturum eſſe, memorantem, conciliabit cum reliquis Evangeliftis, narrantibus, Chriſtum vaticinatum eſſe, fore, ut ἀλέκτωρ non antea cantaret, quam Petrus ter ipſum abnegaverit, Vid. *Matth.* XXVI, 34. *Luc.*

Luc. XXII, 34. Joh. XIII, 38. Certe, quam alii, qui de *gallinaceo* sermonem esse putant, conciliandi viam invenerunt, ipsum haut facile inventurum esse, persuasus sum. Illi enim putant, quod apud Marcum cum prius illud gallicinium circa *μεσονίκτιον*, tum alterum sub adventum lucis, apud reliquos vero Evangelistas solum secundum intelligendum sit, quod non Gellio tantum, Apulejo, Censorino, Macrobio, gallicinium, sed Marco etiam c. XIII, 35. *ἀλεκτοροφωνία* simpliciter & *κατ' ἐξοχήν* appelletur, ita ut apud hos Christi prædictio huc redeat: *Ante tempus gallicinii, vel, Non cantabit gallus solenni illo cantu, a quo tempus, quo canit, ἀλεκτοροφωνία dicitur, priusquam te me negaveris.* Vid. præter Interpretes Bochart. lib. cit. p. 120. 121.

§. 17. Cum igitur difficultas, quam vulgari sententiæ de gallinaceo, a Petro audito, lex Judæorum de gallis, in urbe sancta non colendis, concitat, diversa ratione e medio tolli possit, & contra Altmanni explicatio plures & longe majores difficultates habeat, nemo vitio mihi vertet, quod hæcenus in partes ejus non transierim.

Ἀλεκτροφωνίας *Evangelicæ signi-*
ficatio genuina defen-
sa (a)

Materiam vides, B. L. quæ rite pen-
 sitetur, non indignam, si que nul-
 lo alio, eo certe saltem nomine,
 quod ad eruendum genuinum
 quorundam N. T. locorum sen-
 sum faciat, in hoc enim vertitur hujus quæ-
 stionis cardo, an per ἀλεκτρο in hist. Evan-
 gelica Gallus Gallinaceus, ut hæcenus factum,
 an vero buccina vel buccinator intelligi de-
 beat, quod Cl. Altmanno placet. Non ergo
 molestum adeo me fore credidi, si quædam
 hic adjicerem, quæ hanc Doct. Altmanni sen-
 tentiam, quam in dissertatione huic Biblio-
 the-

(2) Commode annectitur hoc schediasma, quod ab
 ignota manu ad me transmissum fuit, priori; Neque
 enim injucundum esse potest, contueri a duobus,
 quorum alter alteri incognitus est, diversa methodo
 simul eandem materiam tractari. Cum autem
 ne *Hercules quidem*, ut ajunt, *DUOBUS par sit*,
 fortassis Cl. Altmannus, eximie expectationis,
 meique perquam studiosus Vir his lectis, &
 quæ in eo perspicacia est, agnosceret, & qui
 ingenuus ejus animus est, confitebitur, nondum
 fat invidis argumentis propriam & vulgariorem
 ἀλεκτροφωνίας significationem, ab eo profligatam
 esse. T. d. H.

theæ inserta uniuscujusque, æqui rerum arbitrii judicio subjecit, enervare receptamque vulgo confirmare videntur. Quod ne frustra à me dictum putetur, non indigne laturum Cl. authorem spero, si primo rationes, quibus pro sententia sua militat, accuratiori disquisitioni subjiciam, & quantum earum cuique tribuendum sit, bona fide demonstrarem. Deinde vero aliquid, quasi ἐν παραδῶ ad objectiones ejus contra communem nostram sententiam adjiciam. Penes æquos rerum arbitros judicium esto.

Prius ergo quod attinet, duplicem constituit argumentorum classem. Altera respicit ambiguum vocis ἀλεκτορῶ, propriam altera & genuinam vocabuli Φωνῆς significationem: *Varia*, dicit, *occurrunt apud scriptores Græcos loca, ex quibus clarum est buccinatores sæpius* (rarius dicere voluit, certe debuit) *Gallos vocari, sed quid tum? Atqui constat Romanos vigiliis suas buccina commississe. Recte! Ergo probabile est per vocem ἀλεκτορῶ non Gallum Gallinaceum, sed buccinatorem Rom. in Hist. Evangelica intelligendum esse.* Sic quidem ludere mihi videtur Doct. Altmannus; Quod enim ambiguum vocis ἀλεκτορῶ significationem attinet; Quis quæso ignorat α. Non id esse illud vocabulum, quod adhibuit Servator lapsus prædicens Petri Matth. 26. 74, Marc. 14. 30, Luc. 22. 34. Joh. 13. 38. cum non Græca lingua sed, ut probabile fit, Dialecto Aramæa fuerit.

fuerit usus, quo successu ergo horum locorum explicatio ab ambigua Græcæ vocis significatione deducatur, nemini, ut quidem puto, obscurum est. Eodem enim jure amphoram Mannæ, si nummis Hasmonæorum tempore cufis fidem habemus, ansatam, cujus generis vasa, ut notum, Græcis *ὄνει* dicebantur vid. Aristoph. in *σφυκ.* vers. 614. ejusque Scholiasten, in sancto sanct. asservatam, ex solo Græci vocabuli significatu Asinum fuisse dicerem convicio Gentilium Judæos Caput Asini coluisse calumniantium. Haud dubie enim prius demonstrandum fuisset Authori *Vel* haberi in lingua, quam Christo vernaculam fuisse dicimus, verbum ejusdem cum Græco Homonymiæ, *Vel* adhibuisse Servatorem tale vocabulum, quod buccinam vel buccinatorem præcise denotet, & si hoc, qui factum fuerit, ut omnes IV. Evangelistæ solo hoc verbo æquivoco neglectis cæteris clarioribus & propriis usi fuerint. Dicendum enim esset, aut singulari Spiritus S. instinctu hanc ambiguitatem à scriptoribus s. diverso in loco ac tempore scribentibus fuisse servatam, aut nullum aliud vocabulum Græcum eo superasse tempore, quo buccinatorem exprimere potuissent, sed neutrum facile dixeris.

Jam 6. quam parum Metaphoricæ vocis *ἄλεκτορ* significationi a Doct. Altmanno adductæ tribuendum sit in simplici narratione Evangelistis præprimis familiari, rarissimus
ejus,

ejus usus, non dicam apud Historicos, qui bellica hæc instrumenta non ἀλεκτορες sed κεραια & σαλπυγες nominare consueverunt vid. Athen. L. 4. Deipn. sed apud ipsos Poetas, abunde docet, quibus adeo non familiaris est hæc tubæ vel buccinæ denominatio, quarum in bellis usus erat, ut, ne exemplum quidem ejus rei à Cl. Altmanno adduci posse, ni huc trahere vellet χαλκείον ἀλεκτόρα apud Callimachum Epigram. LX. ipsa loca ab eo citata testari videntur, Et quid quæso, si vel maxime evincerent hanc Græcæ vocis significationem locum apud Troporum figurarumque Magistros Poetas habere posse; præcipue, quia Gallus Marti sacer propter pugnacitatem & vigilantiam, nam

ter clara instantis Eoi

Signa canit serus depulso Marte fatelles.

An tantum propterea exemplis hisce Poëticis tribuendum esse censet, ut contra morem omnium, quotquot sunt Veterum Historicorum, quos Tubarum & buccinarum mentionem facere deprehendimus, in hoc vocabulo, quod ab Evangelistis alia quam Christi vernacula lingua scribentibus haud dubie adhibitum fuit, ad significandam rem vocabulo quam maxime propriam, aliam quam vulgatissimam Galli gallinacei significationem querere debeamus, eamque tam inusitatam, ut minori opera ex homonymo Latini vocabuli

Galli significatu probare posses ex illo Horatii Sat. I.

*Sub Galli cantum consultor ubi ostia pulsat,
Vigilias in urbe Romana clamare militis vel
buccinatoris Galli fuisse commissas.*

Hinc ulterius provehimur, qualem quærat in urbe sancta buccinatorem examinaturi. Romanos vigilias suas buccina commississe certum est: C'etoit au son de la buccina, que l'annoncoient dans le Camp les d'fferentes, veilles de la nuit & que la premiere sentinelle etoit relevée par la seconde & ainsi des autres, recte dicit Galland dans *Le Traité de L'Origine & de L'usage de la Trompette chez les Aneiens.* At vero idem apud præsidarios per urbes dispositos Provinciarum obtinuisse secundum stationes non tantum ordinarias sed & extraordinarium in ædibus Pontificis, si auctori fides est, vigilias ebuccinantes probatum esse ex testimoniis Vegetii L. 3. 8. Livii L. VII. hætenus non perspicio, nam de præsidariis ne *per* quidem illi, hinc haud dubie aliter suscipienda fuisset ejus rei probatio, si quicquam evincere voluit Altmannus. Et quod speciatim Taciti locum attinget Annal. L. XV. 30. Cur ab auctore adductus fuerit, divinare nequeo, non enim de vigiliis per stationes ebuccinandis, ibi sermo est, sed de dimissione conviviorum, quæ tuba f'ibat, ex inspectione ejus auctoris patet vid. & Lipsium ad hunc locum & Cl. Burmannum ad Petron, pag. 364. Pergo cum Doct. Altman-

manno ad vocem φωνην: Notandum esse, dicit, vocem φωνην non Gallinaceorum, sed hominum, & buccinarum vel tubarum propriam esse, quomodo vero Græci galli cantum exprimant, nobis declarant Pollux Onomast. L. V: 13. & Homerus in Batrach. vers. 191. Sed notari velim primum, quod evolvendo Pollucis ab authore, cit. locum oculis sese subjicit est sectionis inscriptio, ὄρων φωναι, ut section. præced. ζωων φωναι, quibus ex prophanis alia etiam non pauca adjici exempla possent, sed unicum addo ex sacris, ubi ipsum, de quo disquirimus, vocabulum habemus ἀλεκτοροφωνίας Marc. 13. 35. Hic enim εφε, μεσσηυκπιον, ἀλεκτοροφωνίαν & πρωί 4. Jud. vigiliis 3. sc. nocturnis & uni matutinæ, quarum tertia sive noctis vigilia ultima erat tempus קריאת הנבר sive gallicinii respondere ultro fatebitur Altmannus. At certe non felicius mihi procedere videtur Doct. Altmannus dum, quomodo Græci Galli cantum expresserint, ex Polluce docet & Homeri Batrachom. Quid enim, si ille ἀλεκτροφωνίας αἶδειν hic vero, quisquis tandem sit ejus carminis author, βοαν dicat, quid inquam exinde conficiat, an omnia reliqua vocabula alibi apud authores obviaut κοκκίζειν &c. ab hoc significato excludet, aut verbis hisce solum vocabulo φωνης significationem hanc adeo ademptam esse dicet, ut ex linguæ Græcæ genio eam habere nequeat. Sed vero cum nec ipsum illud verbum βοαν id Gallis

adeo proprium sit, ut non sapius non tantum quemvis alium inconditum clamorem sed & ipsam articulatam hominum vocem exprimat ut Matth. 3. 3. φωνη βοωντων εν τω ερημου, ubi φωνη & βοων expresse conjunguntur & apud Justinum Mart. ως ο Ηρακλιος βοων, in Dialogo cum Tryph. quo jure alteri præ altero significationem competere affirmabit, quam ipsimet Græcorum scriptores utraque voce indiscriminatim intenderunt.

Nunc brevissime quam potero Objectiones, quibus communem de hacre, sententiam infringit Cl. author discutiam. *Primo* ergo in genere refutat omnes illos ex eruditis, qui Gallicinium in ipsa urbe factum fuisse contendunt, argumento desumpto ab illo Judæorum interdicto, quo Gallos gallinæ eos in urbe sancta alere nemini licuisse dicunt. At vero Objectioni huic aliquid reponere velle, esset otio suo abuti, præcipue, ex quo Cl. Relandus nervum argumentis hujus adeo incidit, ut vires suas plane amisisse censendum sit. Hinc ad alteram objectionem provehimur, quam torquet contra Relandum, fieri potuisse, ut Galli cantus extra mœnia factus ad aures Petri fuerit delatus affirmantem. *Incertum*, inquit, esse an domus Pontificis adeo contigua fuerit mœnibus, ut Gallus extra ea cantans in tanto strepitu in tanto Judæorum inconditum clamorem tollentum inque militum tumultu exaudire potuerit. At quis quæso argumentum hoc subministravit D. Alt-

manno. Non certe sacra script. ibi enim ne
 verbulum quidem neque de Clamore Judd.
 neque de militum tumultu habetur, quandiu in
 domo Pontificis res agebatur. Imo contra-
 rium plane ex toto contextu sacro apparet.
 Atque clanculario sacerdotum consilio permit-
 tente Pilato militumque auxilium submini-
 strante, populo quid ageretur in scio, *ἵνα μὴ*
ἰσχυροῦσθε τὸν λαόν, ut habetur Matth. 26. 5. Ser-
 vatores captum mortisque reum peractum
 fuisse duplex ratio evincit: 1. Consilium de
 comprehendendo salvatore noctu ubique alias
 in templo, Synagogis &c. interdum obvio, ut
 ipse hominibus hisce exprobrat Christus,
 quemque adeo prehendere facile potuissent,
 ni singularis quaedam obstitisset ratio, metus
 nimirum seditionis in populo excitandæ. 2.
 Confessus eorum feralis noctu itidem susce-
 ptus, quod alias nefas erat ut docet ex Codi-
 ce Sanhedrin Cap. 4. Lightfootus ad Matth.
 Cap. 27. 1. quod certe non alio fine factum
 fuisse videtur, quam ut Christus, antequam
 proximus dies cruentum eorum consilium pro-
 deret, in hoc eorum confesso Judiciali ascitis
 testibus Blasphemix convinceretur, facillime
 postea apud populum, quem demum postero
 die concitasse leguntur ad *πρωτοενοῦ* conflu-
 entem, veniam & approbationem inventuros
 sese sperantes. Et quanquam non ignorem,
 noctu egregios hosce Judices confedissee dici
 posse, ut ex lege eorum exorto sole Capitis

judicium fieri posset, quod unius diei concessu fieri non debebat, ut habetur apud Lightf. l. c. neve itaque Paschale festum consilium eorum dirimeret, causam tamen, quam modo attuli, palmariam fuisse, quod nocturno hoc suo conventu patriis legibus vim fecerint, nullus dubito.

Verum incondito huic clamori, quem offecisse auribus Petri putat, magis adhuc adversantur circumstantiæ in ipsa Petri abnegatione observandæ, sic enim de Petro, Matth. 26, 58. εἰσελθὼν ἔσω ἑκάθητο μετὰ τῶν ὑπερεταῶν ἰδεῖν τὸ θεῶν. Nihil plane de strepitu & tumultu Militum servorumque vel Judæorum clamore. Imo aut plane nihil video aut ex verbis modo citatis conjicere mihi licet, omnem ibi abfuisse tumultuantium turbam, aliosque ex ὑπηρέταις sive fuerint milites sive Pontifici summo à servitio sive denique quod verisimillimum est, servorum aliquot, quorum ministerio citabatur ipsum Synedrium hicque Sacerdotum confessus, ignis ejus beneficio adversus frigus fruentes de exitu judicii differuisse, ipse verba cum iis hac de re miscente Petro, hinc Objectio. ἡ λαλία σου δηλονότι περὶ vers. 73. At quomodo quæso, si tanta ibi fuisset tumultuatio & cursitatio Judæorum, militumque tam inconditus clamor, ad solius Petri verba attendere & ancillæ cum tam accurate observare potuissent?

Aut

Aut quomodo Petrus quæ de se dicebantur, tam clare percipere reliquosque idem auribus hausisse & hinc periculum sibi imminere præsentiscere potuit, ni omnes & loquentes & audientes tubis Acusticis & loquutoriis armatos fuisse dixeris. Nunc quod situm attinet domus Cajaphæ, quanquam supervacaneum videri queat, quæstionem instituere, an illa adeo contigua fuerit mœnibus, ut gallicinium extra ea factum inde exaudiri potuerit, postquam Cl. Relandus exemplis rei possibilitatem abunde demonstravit, quæ sive vera sive hyperbolica censeantur, in tantum ejus sententiæ favent, ut inde ipsa insuper experientia testè, quæ tantum gallorum integræ horæ spatium personare auresque nostras ferire animadvertimus, solidum ad firmandam hanc sententiam Cl. Relandi argumentum peti possit. Placuit tamen Doct. Altmanno & hoc in dubium vocare: Sed respondeat ipse Relandus: *Quod si in monte Zion eo loco fuerint sitæ (Pontificis ædes) quo eas collocat diligentissimus investigator Antiquitatis Jud. Vallapandus, vix tribus stadiis à turri Hippico, ipsisque muris civitatis absuerunt.* Et hinc quid mirum videri debet, si gallicinium per silentia noctis è vicinia urbem ædesque Pontificis personuisse dicatur, quod toties & toties factum fuisse non tantum totius urbis Hierosolymæ quæ diversis montibus insidebat, sed

& ipsarum Cajaphæ ædium situs excelsior,
si Villalpando fides est, abunde
probat.



III.

J. *Christ.* HARENBER-
GII,

Exercitatio de CRUCIS
figno, symbolo salutis, frontibus
piorum Israelitarum impo-
nendo ad Ez. IX, 4.

Conspectus.

§. 1. Crucis figura huc faciens describitur. §. 2. Aegyptiis crux fuit sacra, symbolum æternitatis, & incolumitatis, quod ex mensa tabulave Iliaca demonstratur. §. 3. Nec non ex Rufini, Socratis & Sozomeni testimoniis. §. 4. Eandem cruci significationem tribuerunt Persæ, in speleo regio. §. 5. Ut ad Persas, ita ad Ebræos idem symbolum ab Aegyptiis profuxit, quod ex תנופה demonstratur. §. 6. Crucis figura expressa etiam est in sparsione sanguinis, sacerdotis summi unctione, affandoque agno Paschali. §. 7. TAV antiquissimum Ebræorum cruciforme fuisse, demonstratur ex Talmude, Patribus, Criticis & Siclis. §. 8. Adversariorum a-

gumenta confutantur. §. 9. Tau Ezechielis fuisse cruciforme & sanctitatem, incolumitatis sociam, indicare ostenditur. §. 10. Ad hanc figuram in N. T. alluditur Eph. III, 18. Apoc. VII. 3. §. 11. Usus hujus tractationis.

§. 1.

Figura crucis multiplex est nec uno modo delineatur. Rei Heraldicæ scriptores Balliotus, Spenerus, Weberus, Trier alique eam fuscè varieque exponunt. At heic ad illam respicio, quæ *Græci Coptici*, & *majusculi Latini TAV* similitudinem æmulatur, qualis in supplicii genus a Græcis Romanis barbarisque ad Constantini usque Maximi ætatem adhibita fuit, a qua non multum abluat illa *Χριστιανισμός*, quam Andreæ martyrio sacratam vulgo tradunt.

§. 2. Signum crucis vetustissimis gentibus salutare fuisse, improbabile nonnullis videtur, verumtamen longe est verissimum. Aegyptii, gens antiquissima & in regno Arabonum oculatissima, symbolum crucis pro æternitatis ac incolumitatis charactere habuit. Multa heic objicit J. Lipsius in Notis ad L. I. c. 8. de Cruce. Sed laborem ejus irritum esse, testatur signum illud crucis, in prisca Agyptiorum obeliscis obvium. Occurrit & in lapide, quem Laurentius Pignorius apud Clariss. Joh: Vinc. Pinellum vidit exsculptum. Conspicua est in tabula Isiacæ, ac quidem ansata, digitis Dei alicujus apprehensa, apud

eundem ad Mensam Ifiacam p. 17. 18. in manu Ifidis p. 66. cui aliquando sphaera superne adhæret, vel serpens alata insistit ad N. CC. quæ alibi ad N. V. globo rotundo insidet. Globus ille equidem rotundus mundum notat priscais Aegyptiis, perhibente Eusebio Præ. Evang. L. III. c. 3. idemque testante globo in manu Jovis, Deorum, heroum ac Cæsarum. Orbis terrarum ex disciplina Aegyptiorum erat *γεωμετρικὸς καὶ φασματικὸς καὶ σφαιροειδής*, *productus, corruptioni obnoxius, & ad sphaeræ figuram accedens*, referente Diogene Laërtio Prooem. p. 7. Ed. Casaub. cum quibus idem docuit Plato, qui ipse in Aegypto sublimiorem naturæ scientiam hauserat, eodem teste Diogene L. III. p. 229. & Casaubono in Notis p. 59. conf. Diod. Sic. L. I. c. 96. Macrobius in Somn. Scip. L. I. c. 19. Menag. ad Diog. Laert. L. 3. §. 6. Nec dissenserunt acutiores, & qui mathematicis tincti erant disciplinis, philosophi, plebecula, philosophastri, Lactantio, Augustino, Papa Zacharia frustra frementibus. J. H. Fabricius Bibl. Gr. L. III. c. 25. Ita etiam recentiorum nonnulli terram sphaeroidem esse statuunt, vel æquatore in altum nitente, vel nivibus ad polos cumulum præbentibus perpetuo crescentem. At quantum assidue nives utrique subjectæ Polo diametrum a borea ad austrum adjuvant; tantum vis centrifuga Aequatori subjacens diametrum ab occasu ad ortum protrahit, & id qui-

quidem iusta ad septemtriones servata
 proportione. Terra igitur recte sphæ-
 ricæ ferme formæ esse olim credita est.
 Verba enim Diogenis Laërtii ita acci-
 pio, ut tam *κοσμον ἐμπεριον*, terra nostra in-
 telligat orbem, quam hujus universi machinam.
 Cic. de nat. Deorum L. II. §. 116. Quocirca si
 mundus globosus est, ob eamque causam omnes ejus
 partes undique æquales, ipsæ per se atque inter se
 continentur: contingere idem terra necesse est, ut,
 omnibus ejus partibus in medium vergentibus (id
 autem medium, infimum in sphaera est) nihil inter-
 rumpat. -- Hinc veterum usitatissimus erat
 concludendi modus. Plato certe terræ ro-
 tundam dedit figuram, qui ipse hanc mathe-
 seos partem ab Aegyptiis haustam suis tradi-
 derat, ut est in Theodori Meliteniotæ proœ-
 mio in Astronomiam. Ut autem & prisca &
 recentissimi Mathematici terram sphæricam vel
 sphæroidem dicunt, ita etiam in eo non diffi-
 dent, quod ipsa hujus mundi aspectabilis fa-
 brica ad normam sphærae accedat. Quid
 Aegyptii, quid Platonici ea de re senserint,
 ex documentis excitatis constare potest. De
 sphæris globisque Veterum videndus præte-
 rea J. A. Fabricius complura doc. bit Bibl.
 Græcæ L. IV. c. 14. §. 16. p. 456. sqq. quæ huc
 egregie faciunt. Subter lunam nihil nisi
 mortale & caducum, præter animos Vete-
 res ad unum omnes constituunt. Supra lu-
 nam sunt æterna omnia, ut Scipio in somnio ait.

Novem globis vel orbibus connexa putabant omnia, quorum unus erat coelestis, extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus arcens & continens ceteros. Huic sub-
 jungebant stellarum fixarum cursum sempi-
 ternum, septemque deinde planetarum or-
 bes. Ultimum remotissimumque universi
 ambitum, vocant vulgo *primum mobile*, & ex
 Archimedis exemplo ejus circuli magnitu-
 dinem indagare & ad certos terræ semidia-
 metros revocare laborant. Conf. Widen-
 burgii Institutiones Astronomicas p. 6. Sed
 finitudini huic ex qua Joh. Schmidius Deum
 certo dari demonstratum ivit, obstare vide-
 tur spatii imaginarii æqualitas, quam Leibni-
 tius in litteris ad Sam. Clarkium rejecit, dans
Recueil des diverses Pieces sur la Philosophie T. I.
 p. 39. sq. & Christian. Wolfius *Metaphys.* §.
 586. sq. explosit: Quare cum ita majores
 nostri nondum judicaverint, sed supremo
 potius circulo finem suum circumdederint,
globus ipse, symbolum universitatis, in Osiri-
 dis, Isis, Serapidis, Jovis, Augustorum
 manu maximam designat potentiam. Isido-
 rus L. XVIII. c. 3. *Pilas in signo constituisse fertur*
Augustus, propter nationes sibi in cuncto orbe subje-
 ctas, ut magis figuram orbis ostenderet. Am-
 mian. Marcellin. L. XXV. tradit, *Maximiani*
statuam Caesaris Antiochia, locatam in vestibulo re-
 gie, *amisisse repente spheram aream formatam in*
speciem poli, quam gestabat. In numis Gara-
 calla

Calla & Didius Julianus globum manutinent
 cum inscriptione: *Rector orbis*. Plura de isto
 globo Deorum Cæsarumque insigni afferunt
 Car. du Fresne de *inferioris ævi numismatibus*
 p. 15. 20. 21. *Achates Tiberianus* ex mente Ja-
 cobi le Roy explicatus in *Actis Erud. Lips.* a.
 1684. M. Jan. p. 258. Cuperus in *Apotheosi*
Homeri p. 148. 49. Wagenheil in *Comment.*
de Sacri Romani Imperii summis Officialibus &
Subofficialibus p. 188. sq. Tenzel in *Monatl. Un-*
terred. Maj. 1689. p. 671. 72. *Nova Litteraria Jul.*
 1721, p. 98. sq. *Gelehrte Zeitungen N. LIII.*
 1721. Jul. p. 420. *Serpens alatus* ille vivacita-
 tem, sanitatem & constantiam notat Diis ad-
 ditus æternitatem regni, Monarchis adjun-
 ctus, florem stabilitatemque imperii subin-
 dicans, ut est apud Euseb. de *Præp. Evang.*
 L. I. c. ult. Horum Apollinem p. 254. Jac. Phil.
 Tomasinum in *Voto Cecropio* c. 6. p. m. 54.
 55. Cum igitur globus sive *sphæra* hujus uni-
 versi sit *imago*, crux ei insistentem omnipoten-
 tem Dei vim ei superadditam denotabit,
 ipsamque æternitatem, idque ex signo ejus-
 dem generis, puta serpente, quod cum cru-
 ce permutatur, liquet. An trinitas heic for-
 te lateat, non definitio. Non quidem peni-
 tus convincunt animum, quæ Bashuysen de
 Trinitate Aegyptiis cognita disseruit; verun-
 tamen Hecate Chaldæorum, *unum numen tri-*
forme designans, forte est ab Aegyptiis trans-
 ducta. Nisi hæc forent obscuriora, nec u-
 nius

nus Huetii testimonio Dem. Ev. Prop. IX. c. 127. §. IV. stare liceret, Aegyptiis vetustis litteram quandam *Dei* cruciformem, *Dei* significatu praeditam; fuisse existimarem, qui ibi docet, Abessynos litteram suam penultimam *Dei* cruciformem, ab Aegyptiis acceptam, *Salebdei*, crucem *Dei* appellare. Plato, Aegyptiorum discipulus, signum cruciforme criticum, X. adhibuit, si quod *unum* & peculiare diceretur Diog. Laert. L. III. p. 227. Casaub. in Notis p. 59. multaque de trinitate habet, quae contra consuetudinem & ipse & discipuli ejus nec clare nec distincte explicant, certo indicio, se ex disciplinis aliorum haec tradita suscepisse. De coetero Baronius ad A. 34. N. C. num 92. nummum recenset Romuli Augusti filii Maxentii, in cujus averfa parte est Victoria stans, dextra Crucem tenens, cum hac inscriptione: VICTORIA AUGG. Qui nummus si fuerit genuinus, nec Romulus ille unquam fuerit cum patre christianae religioni addictus quod non fit verosimile, Romanis etiam gentilibus symbolum salutis, crucem, non ignotum fuisse videmus.

§. 3. Verum ut distinctius innotescat, signum crucis Aegyptiis fuisse symbolum incolunitatis & vitae, ad documenta luculentiora Rufini, Socratis ac Sozomeni confugiendum est. Rufinus H. E. L. XI. c. 29. *Aegyptii ita a majoribus traditum acceperunt, quod sana, quae apud ipsos colebantur, iamdiu starent, quam-*

quamdiu signum illud venisset, in quo erat vita. Sozomenus hoc signum plenius delineat, qui in describendo Serapii Alexandrini excidio H. E. L. VII. c. 15. ita: Φασί τῷ ναῷ, τότε κα-
 θαιρεμένῃ, πινὰς τῶν καλαμένων ἱερογλυφικῶν
 χαρακτῆρων τοῖς λίθοις ἀναφανῆναι. Παρ' ἐπιση-
 μόνων δὲ τὰ τοιαῦτα, ἐρμηνευθεῖσαν σημεῖον ταύτην
 τὴν γρηφὴν, ζωὴν ἐπερχομένην. Dicunt, quod
 templo hoc tunc destructo quidam characteres eorum,
 quos hieroglyphicos vocant, crucis signo similes, la-
 pidibus incisi, apparuerint. Hæc a peritis explica-
 ta significare affirmant idem ac vitam subsequentem.
 Socrates H. E. L. V. c. 17. fere eodem: Ἐν
 τῷ ναῷ τῷ Σεράπιδος λυομένη καὶ γινυμένη
 ἤνθητο χαρακτῆρα ἐγχεχαραγμένα τοῖς λίθοις, τῷ
 καλαμένῳ ἱερογλυφικῷ. ἦσαν δὲ οἱ χαρακτῆρες στυ-
 ρῶν ἔχοντες τύπον. Τέλεις ὄρωντες χριστιανοί τε
 καὶ ἔλληνες, τῇ ἰδίᾳ ἑκάτεροι θρησκείᾳ προσσημά-
 ζοντο. χριστιανοὶ μὲν γὰρ σημεῖον τῆς κατὰ χριστὸν
 χαρακτῆρα ἐνόμιζον. ἔλληνες δὲ τὴν ἑσινὸν χριστῷ
 καὶ Σεράπιδι ἔλεγον. In æde Sarapidis diruta &
 detecta inventæ sunt litteræ, insculptæ lapidibus, mo-
 re hieroglyphico: Erant vero characteres, crucis
 exprimentes imaginem. Quas cum viderunt &
 christiani & Græci, quisque suæ religioni adapta-
 bant. Christiani quidem signum Christi in crucem
 suffixi characterem esse putabant. Græci vero ali-
 quid Christo & Sarapadi, commune esse perhibue-
 runt. Paulo post, crucem ζωὴν ἐπερχομένην
 notare, additur. Quod vero Sozomenus
 subjungit cum Socrate, famam fuisse, tem-
 plum

plum illud tum destructum iri, cum hæc nota cruci similis apparuisset, in eo iuste reprehenditur ab Henrico Valesio in Notis ad Socratem p. 65. Rufinus enim, cujus scrinia uterque compilasse videtur, templa ex opinione Aegyptiorum æternum statura docere videtur. Nam signum illud multis ante sæculis, quorum ipsi forte nequidem initium noverant, usu vulgatum fuerat. Quæ cum ita sint, crucem symbolum vitæ & æternitatis Aegyptiis fuisse, satis superque evictum esse videtur. conf. Jac. Gretserus L. I. de Cruce c. 51.

§. 4. Ex Aegypto Magi suam progeniem doctrinamque ad Chaldaeos Persasque propagarunt. Diod. Sic. L. I. c. 28. & L. II. c. 29. Reimmann. in Antiqq. Litterar. Aegypt. §. 22. Non igitur mirandum, in ipsis Persepolitans ruderibus, apud Cornelium de Bruin, crucis reperiri signum & quidem in monumento sepulcrali regio, haud procul apparente serpente, cujus caudam Rex ipse tenet. Vid. Itinera ejus c. 39. p. 221 & c. 40. p. 232. De cruce quidem nullum est dubium, sed de serpente, nam, anne potius sit sagitta, ipse ambigit auctor. Verum chorda abest, serpentesque cruci præsto fuerunt, ut supra dictum est. Nec est, quod de fide & antiquitate hujus Mausolei dubites, collatio enim Diodori Siculi, Chardini, & Brunii, atque au-
cto.

toritas Relandi. *Palest.* L. III. p. 635. eam volunt esse salvam & illibatam. Ceterum adjuncti characteres, quod obiter post Celeberr. Reimmannum moneo, non videntur literæ esse antiquæ, verum ludibria artificum, ob perpetuam fere ductuum similitudinem.

§. 5. Ad Ebræos transeo, quorum mores & quidam ritus erant Aegyptiaci, quod ex collatione Marshami, Spenceri & adversariorum quivis, qui intemperis animi non agitur, colliget. Multa in Ebræis toleravit Deus ob *σκληροκαρδιαν*: multa ob animum imaginibus & figuris immersum retinuit: multa elementa, multas orbis umbras ad sinceritatem usque Evangelii pleniorē superesse Deus sivit. Non quidem in ea sum hæresi, ut sacrificiorum ipsorum Mosaicorum originem cum Marshamo, Spencero, Grotio, Outramo, Maimonide & Abarbanele ex Aegypto repetam; nihilo secius momenta quædam adjecta, festum novilunii, hierarchia, & alia consuetudinem Aegyptiacam aperte indicant. De ritu agitandi manipulum, carnes sacrificiorum, ipsosque sacerdotes, per manum ipsorum agitatum hujus ritus participes, idem mihi videtur esse statuendum. Quis enim Patriarcharum sacrificiū ullam partem vel manipulum frugis ad quatuor orbis plagas agitavit vel agitari præcepit? Moses ritum תנופה *agitationis* sæpius memorat, non curate explicat. Rejicientibus cer-

te nobis traditionem פרה שבועל oralem ex Si-
na, a Judæis effictam, nil est reliquum, nisi
ut fateamur aperte, quod agitationis ritus
jam ante Mosen fuerit longe familiarissimus
notissimusque Israëlitis, non quidem Patriar-
chis Palæstinis, ut paulo ante est monitum,
ideoque ab Aegyptiis receptus, quibus crucis
figura, quæ agitandi ritu exprimebatur, divi-
nitatem & vitam subsequenter vel assiduam nota-
bat. Quem agitandi modum Raschi ad Num.
V. 25. breviter nervoseque ita describit:
ומעלה ומוריד מוליך ומביא sacerdos ducit ad
se reducitque sursum deorsumque movet.

§. 6. Sparcio sanguinis eandem exhibuit
figuram cruciformem, quod vel ex Maimoni-
de c. V. 5. videre est; כיצד הוא עושה כשלוקה
הכהן הרים במזרק חורק ממנו במזרק שתי
זליקות על שתי זוויות המזבח באלכסן מחצי המזבח
למטה על קרן מזרחית צפונית ועל קרן מערבית
דרומית ומתכוין כשזרוק הדם על הקרן
שיהיה הדם מקיץ על הזווית מן גם כדאי
שימצא הדם של שתי מתנות על ארבע
כתלי המזבח לפי שנאמר בעולה ובשלעים
סביב והוא הדין לאשם: Quomodo peragit sa-
cerdos sparsionem? *Accepto in pateram sanguine,
spargit ex ea gemina vice, ad duos angulos altaris,
ad diametrum sive medium altaris. Et quidem infra,
versus cornu, quod ad orientem Et septentrionem,
Et versus id, quod ad occidentem Et austrum spectat,
Et solicite attendit, ut spargat sanguinem ita super
cornu, ut ita penetret ad angulos, ita tamen ut re-*
pe-

periatur sanguis 2. sparsionum super quatuor parietibus altaris, quoniam dicitur de holocausto & sacrificiis Pacificis: Undequaque. Et hac spargendi ratio est & circa sacrificium piaculare pro noxa offerendum. Sacerdos summus inunctus fuit etiam in modum crucis vel *χρους*, ceu ex Tr. Gemarico Kerituth c. 77. constat, quod ipsum non minimi esse momenti contra Judæos, dudum Hadr. Relandus in Antiqq. Ebr. P. II. c. 1. §. 5. monuit. Agnus ipse paschalis, cum assaretur, hanc expressit figuram. Justinus Martyr Dialogo cum Tryphone Judæo, qui non fuit docente eodem Relando Disp. III. Class. I. Fasc. I. Bibl. hujus p. 86. sq. Tarphon Mischnicus, hoc testatur p. 30. ed. lat. Paris. 1554. fol. hunc in modum: *Agnus ille, quem assum jussu Dei esse oportebat, passionis suppliciique crucis, quo Christus afficiendus erat, fuit significatio. Agni enim, qui assus redditur, carnes, dum, ut ita dicam, assantur, speciem crucis præferunt. Unum n. rectum veru ab infimis partibus ad capus pervenit, unumque rursus, quod per dorsum pertinet, cui agni pedes conjunguntur. Quod si Justinus Samaritæ testimonium in dubium voces, recutiti in ipso Mischnico Talmudis corpore te confirmabunt, ubi Tr. Psachim c. 7. §. 1.*

כיצד צולק את הפסח מביאין שפיו של רימון
רוחבו מתוך מן עד בית נקובתו ונותן ארז כרעין
: ואח בני מעולתוכו. *Quomodo assant agnum Paschalem? Trajiciunt veru ex malogranato confectum ad latitudinem ejus per medium, oris ejus ad*

egressum usque ejus inferiorem, & alterum dividit poplites ejus & viscera utrinque ex medio. Quid de serpente alato memorem, quem Moses in symbolum vitæ & incolumitatis erexit? Num. XXI. 8. 9. Aegypti eam horrebant ibidemque propterea colebant, quod nocentissimam illam volucrem morfu conficerent. Cic. de Nat. Deorum L. I. P. 101. *Ipsi, qui irridentur, Aegyptii nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt. Ibes maximam vim serpentium conficiunt, cum sint aves excelsæ cruribusque rigidis, carneo proceroque rostro avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invehas (Euroque ex Arabia Herod. L. II. c. 75.) interficiunt ac consumunt. Ex quo fit, ut ille, nec morfu vive noceant nec odore mortue. Nocentiores tamen illæ serpentes quam utiliores fuerunt. Nullam igitur aliam consecrandæ illius causam reperio, nisi similitudinem volantis ejus cum imagine crucis, symboli Deum repræsentantis, quam conjecturam ex eo, quod loco crucis ponatur vel cruci addatur, stabiliri posse autumo. Unde porro auguror, serpentem illam aheneam Mosis, pinnas extendenti similem fuisse, ut videlicet symbolum vitæ crucisque, Israëlitis notissimum, exprimeret, & pr. cul intuentibus serpens alatus videretur. Lucem scenerarer typo & anti- typo Joh. III. 14. si cui hæc penitus persuadere possem. Non alienum fuerit, docere sa-*

turam serpentibus Ibim Arabiae incultae solitudinibus Jer. II. 6. non praesto fuisse, serpentis morsu igneo nocivae plenissimis. Num. XXI. 6. Es. XXX. 6. Jer. VIII. 17. Deut. VIII. 15. Strabo L. XVI. Herod. l. c. libere enim per Arabiam vagabatur, Herod. L. IV. c. 107. demumque in ipso introitu finium Aegypti ibi dum adverso agmine excipiebatur acconficiebatur, ut est penes Pompon. Melam. p. 211. ex ed. Vadiani. Quocirca serpentis notionem Israelitis semper fuisse horro- ris ditissimam, puto, adeo ut inde *cacodaemonem* vocaverint *serpentem*, quemadmodum eum ob odiosum & damnosissimum illum sibi cultum Jovis Bubasteni sive Sclepii vocarunt, immo ex odio in Romanos, orbis terrarum dominos, *mundi principem*. Sed de his alias.

§. 7. Nec omittendum censeo, quod *crucis signum* frontibus Israelitarum ab atrocitate Nebucadnezaris liberandorum ex divino praec- pto in visione imponendum erat Ez. IX. 4. *Tau* ibi in Ebraeo obviam plurimi per *signum quodvis* exponunt, ut Graecus, Arabs, Syrus, Vulgatus, Symmachus, Aquila, Kimchi, R. Salomo ben Melech, Abarbanel &c. Chaldaeus vero & Theodotion vocem *Tbau* retinuerunt. Errat igitur Joan. Grial apud Corn. a Lapide ad h. l. in notis ad S. Isidorum Lib. 1. Etymol. 3. & ex eo Caninus, qui Syrum *signa crucem* vertisse volunt, habet enim *נחש* *דג* *signa signum*. Hic vero praecipue animadver-

tendum est, quod, monente Huetio in Dem.
 Evang. Prop. IX. c. 127. §. IV. c. 524. Olim
 prisca elementis Samariticis Ebraei usi sint. Et
 Tbau quidem, quae postrema erat, praeter alias for-
 mas, crucis speciem obtinuerit, non ejus duntaxat,
 in qua lignum transversum sustinet stipes arrectarius,
 sed alterius etiam, quae χειδής est sive decussata.
 Consentunt in eo, quod Samaritanæ vetustio-
 res litteræ Ebraeis ante captivitatem Babylo-
 nicam tantum in usu fuerint, Zutra & Hobka
 in Tr. Sanhedrin Sect. 2. fol. 21. 22. R. Jose in
 Thalmud Hierosol. Sect. 1. Tr. Megillah fol.
 71. col. 2. R. Juda in Mischnah Tr. Megillah
 c. 1. n. 8. cum multis doctoribus Gemaricis
 & R. Obadia Bartenorio, R. Sam. Japhet in
 Tr. Megillah sect. 1. fol. 194. col. 3. Origenes
 in Comment. ad LXX. Ez. IX. 4. Ed. Roman.
 Εβραίων τις τῶν εἰς σωτῆρα πεπεσκευότων ἐλεγε,
 τὴν ἀρχαίαν σοιχείαν ἐμφερὲς εἶναι τὸ ταῦτ' ὡς τὴν
 σταυρὸν χριστικῆς. Eusebius in Chronico de
 Esra, cum primo quadratas litteras Ebræas
 ex Chaldæa in usum sacrum invexisse, tradit.
 Hieron. L. III. Comment. ad Ezech. IX. Ut
 ad nostra veniamus, antiqui Hebræorum litteris,
 quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema
 Tbau littera crucis habet similitudinem, quæ in Chri-
 stianorum frontibus pingitur & frequenti manus in-
 scriptione signatur. Idem in Præf. ad libros Re-
 gum: Certum est, Ezram scribam legisque Docto-
 rem post captam Hierosolymam & instaurationem
 templi, sub Zorobabele alias litteras reperisse, qui-
 bus

bus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Ebraeorum characteres essent. Eadem habet Beda, eadem vetus catena in Psalmos apud Huetium l.c. conf. Sixtus Senensis in Bibl. S.p. 187. Testantur id ipsum sicli Samaritani sive Ebraei. Numus Ludolphinus, & qui inscriptione impertiti sunt 𐤀𐤁 𐤂𐤃 vel 𐤀𐤁 𐤂𐤃 libertatis vel liberationis Hierosolymæ, Stonis, quos dabunt citati a J. H. Fabricio in *Bibliogr. Antiquaria* c. XVI. §. 534. & qui addendi erant J. H. Hottingerus de Numis Orientalium, J. C. Cellarius in *Historia Samaritana*, Andreas Müllerus Greiffenhagenius in *selectiorum numismatum consideratione*, adjecta Orationi Dominicæ centum linguarum &c. Tau etiam Punicum crucis habet formam, ut ex Tab. II. Diff. Adriani Relandi de *Inscriptione Nummorum quorundam, ad spectatissimum virum Jacobum de Wilde* clarissime elucet. Pœni vero & parentes & linguam & litteras indubie adhibuere Phœnicicas vel Cananiticās. Nec Græcæ repugnant litteræ, ex Phœnice propagatæ per Cadmum, Plin. H. N. L. VII. c. 56. nisi quod stipitis arrectarii apex ultra lineam transversam prominens fere desit. Forma crucis recedit quidem paululum ab hodierna figura litteræ Samaritanæ Thau, licet non adeo, ut multi clamant, successus enim temporis varietatem omnium rerum ex aliis compositarum invehit. Plinii tempore supererant scripta exa-

rata vetustissimis Latinorum litteris, mere Græcas præferentibus figuras conf. idem l. c. c. 68. sed quantum figura latinarum litterarum ab illa forma jamdum discrepabat! Recte igitur Hadr. Relandus Ep. ad Garnierum de nummis Samaritanis in novell. reip. liter. p. 153. A. 1705. *Maintenant il est certain par les medailles, que la figure d'une croix est une veritable Tau.* Verum de litterarum Samaritanarum inter Judæos usu litteratores in duas abeunt partes, R. Jacob, Rambam, Buxtorfius, Kircherus multique alii testimoniis supra adductis omnibus reclamant, recentiorum Judæorum ja-ctantia & sanctitatis cujusdam persuasione commoti, adeo ut Val. Ern. Læscherus in Appendice Prænotionum Theologicarum p. 383. conf. Bibliogr. Antiqu. c. 21. p. 629. (& c. 16. p. 534.) idem videatur approbare. Samaritanum characterem ante captivitatem a Mosis usque tempore inter Judæos in communi & vulgari usu: hodiernum vero Judaicum characterem non nisi post solutam captivitatem, vulgatum fuisse, statuunt adversarii. Verum antiquissimi Judæi, Patres, Sicli, origo litterarum Punicarum & Græcarum, nobis favent, & illud, quod lingua Cananæa eadem fuerit ac Ebræa, ceu J. Clericus, H. B. Witterus alique dudum indicarunt, & lingua Labani arguere videtur. Legenda in primis est Ludovici Cappelli Diatriba de veris & antiquis Ebræorum literis, opposita, Joh. Buxtor-

torfi de eodem argumento, qua antagonista-
rum tragulas validissime dissolvit. conf. Hue-
tius: l. c. Verum neutra harum sententia-
rum magnopere interpretationi meæ officiet,
sacerdoti enim gregario & Chaldæo percuti-
enti, vulgaris & promiscua litteratura conve-
nit, quæ Ezechielis tempore secundum &
Buxtorfianos & Cappellistas fuit Samaritana
antiqua. Marckii & Rhenferdii nuperas ob-
jectiones alia occasione solvam, Buxtorfianis
enim argumentis nova adjunxisse videri vo-
lunt.

§. 8. Ante pleniorē rei numismaticæ
Ebræorum ac Pœnorum notitiā, omnes fe-
re litterati *Thau* illud cruciforme Samaritanum re-
quisiverunt, & non inventum, in Ori-
gene, Eusebio ac Hieronymo damnarunt.
Is. Casaubonus in Exerc. ad Annal. Baron.
num. 78. Josephus Scaliger in animadversio-
nibus Eusebianis, Angelus Roccha a Cameri-
no Bibliothecæ Vaticanæ p. 13. Paulus Colo-
mesius in Ep. ad Joh. Bernonum, edit. Am-
stelod. p. 670. Brochmandus in System. theo-
log. p. 18. in eorum sunt numero, qui ita in-
diversa abeunt. Sed quænam ipsorum ratio-
nes? Tau Ebræorum & Samaritanorum ipsis
a formâ crucis longissime recedere videtur.
Sed non viderant formam veterem Samarita-
ni Thau, sed hodiernam, non satis respon-
dentem formæ crucis, quæ successu temporis
aliquantulum immutata est, ritu omnibus

omnium gentium litteris solemnibus. J. A. Fabricius l. c. c. 21. p. 629. aliam videtur obijcere rationem, ex eo, quod *Pentateuchum Samariticum ex Hebraico nostro descriptum esse*, quidam eruditi doceant. Licet ea sint vera de Pentateucho Samariticis litteris consignato, Ebraicas voces habente, in his locis, ubi in Ebraeo-Samaritano nil abundat, non tamen de versione Samaritana affirmari potest, nisi descriptio sit versio. Et quid, quod pace tanti viri dixerim, vocum descriptio ad formam litterarum per se facit. Sagittarius in *Historia Passionis Jesu* P. II. c. 12. p. 786. 787. *Forte igitur Hieronymus cum in Ezechielem scriberet ab Origene deceptus, nondum scivit litteras Samaritanas. Nisi malis dicere Samaritanos geminam habuisse litteræ Tau figuram, quarum una tantum fuerit cruciformis.* Suboluit ei non nihil, verum non opus est ad duplicem confugere figuram sed ad vicissitudinem temporum, quæ & litteras sensim immutat. Judæi & quidam Christiani putant, ad eximiam sanctitatem S. Scripturæ spectare, si character Biblicus nunquam mutatus sit. Sed optime Lutherus *Comment. in Gen. c. 30.* *Omnia hæc manant ex superbia & arrogantia Judæorum, qui nihil ferunt dici magnificum, nisi quod ad ipsos pertinet.* Numquid novum Testamentum periit vel immutatum est, cum hodie exaretur & imprimatur litteris minusculis, cum antiquissima M^{sta} & indubie ipsa Autographa, majusculis contexta sint.

sint. Ubi sunt coronulæ Ebræorum? Ex quibus omnibus colligitur, mirandum sane esse, Virum μακαρίτην C. H. Rithmeierum Diss. de ⲛ apud Ezechielem 1711. excusam Helmstadii, in tanta litterarum Samaritarum luce cruciforme Thau Samaritanum ignorasse & inficiatum esse.

§. 9. Cum igitur littera ⲛ tempore Ezechielis fuerit cruciformis & vulgari in usu ex sententia tam Buxtorfianorum, quam Cappellistarum, & *crucis signum symbolum vitæ* sit, tandem, explicatio clara ac distincta nulli vel obscuræ interpretationi præponenda sit, nullus dubito, quin hic conservatio vitæ piis Israelitis, a Nebucadnezare vastatore in periculum vocandæ, sub symbolo crucis, visioni apto, delineetur ac promittatur. Visio omnis nititur veritate rerum quarundam naturalium. Quomodo enim proprietate unius per alterius virtutem illustrabis ac intelliges, si illa ipsa virtus sit falsa & nulla? Porro tenendum est, ad ejusmodi hic signum respici, quod *sacerdoti* ⲛⲓⲛⲓ & victori Hierosolymam excidenti notum fuerit, *frondibusque* ingeri consueverit, præcipue cum Deus interpretationi nostræ hic locum concesserit signumque non depinxerit. Actiones personis conveniant oportet ad decus & sanctitatem sapientiæ supremæ celebrandam. Sacerdoti inunctio S. Sacerdotis per signum crucis erat notissima, in fronte peragi solita. Chaldæis, Persis

Perſis ac Ægyptiis idem incolumitatis ſymbolum in uſu erat. De Perſis ac Ægyptiis id ſupra demonſtratum eſt. Chaldæis illud nemo denegaverit. cum Magi eorum originem habeant Ægyptiacam (vel ex proœmio Diog. Laërtii Ægyptii Chaldaicam) & Perſici magi originem venerentur Chaldaicam. Mercurius enim Trimegiſtus ante Moſen vixerit neceſſe eſt, auctor omnis litteraturæ Ægyptiacæ, illius quippe ætate Magi Jannes & Jambres etiam ſapientia Ægyptiaca fuerunt famoſiſſimi. Chaldæorum obſervationes quibus antiquitatem ſuam oſtendebant, non ultra Nabonaſſarem aſſurgunt, ut ex Joh. Marſhami *Canone Chronico* & Th. Stanleji *Hiſtoria philoſophica orientali* notiſſimum eſt, imo ex ipſius Ptolemaei *Amageſto*, Perſarum primipilus Zoroaſtres, teſte Apulejo, Pythagoræ præceptor fuit. Quis vero nescit ſacerdotii & philoſophiæ doctrinas magis per vicinas provincias propagari, quam ſemper ab integro excitari? Præterea nomen litteræ 𐤀 ab Ezechielis ætate non abhorret, eſt enim antiquiſſimum, & jam per Cadmum ſatis diu ante Ezechielem eadem fere figura in Græciam translatum conf. Plin. H. N. L. VII. c. 56. Porro de ſigno crucis noſtrum *Thau* hic interpretantur Tertull. adverſus Marcionem L. III. c. 22. adverſus Judæos c. 2. Cyprianus L. II. adv. Judæos c. 22. Origenis ac Hieronymi teſtimonia ſu-

pra dedimus, quibus Augustinus & Ambrosius addi possunt. Raschi ad h. l. & C. H. Rithmeier l. c. §. 14. 15. ad sanguinem Paschæ in Ægypto ostiis Judæorum illitum respici volunt. Sed quid hæc ad frontem singulariter? quomodo hæc in vastatores Chaldæos quadrabunt, qui non erant sancti angeli, nec characteres ignotos divinare potuisse imaginandi sunt? Nec hic ullum indicium sanguinis occurrit, sed potius alius liquoris, qui scriptori, qui gestanti *כֶּסֶף חֲסִידִים*, *atramentarium* conveniebat. Conf. Diss. Quandtii de Atramento Ebræorum §. 21. Scribæ conveniunt atramentum & litteræ. In adducta vero explicatione omnia ad efformandam distinctam notionem ex verbis ipsis sacris & *symbolo crucis*, sanitatis ac vitæ signo, sponte sua conspirant. *Tbau* cruciforme fuit secundum §. VII. Chaldæis & Ebræis crucis signum erat cognitum. Summi sacerdotis ceterorumque primorum in eremo sacerdotum inunctio per modum crucis fiebat, & quidem *in fronte*, ut ne quis unctos Domini læderet, quorum vitæ parcendum erat. Nec patrum antiquissimorum præcipue si a magistris doctissimis profluxerunt, testimonia temere rejicienda sunt. Propheta igitur sanctitatem eo nomine commendat, quod clades & exitia avertat, imo in ipsa fortunæ malignitate & regionum vasta-

statione certissimam pariat salutem, Deo piis non aliter prospiciente quam sacratis sibi sacerdotibus, quibus signum æternitatis vitæ ac incolumitatis extrinsecus applicatum erat. Alias interpretationes de תורה, תשובה, signo interno. &c. omitto. Conf. Pfeifferi *Dubia Vexata* Centur. IV. Loc. 57. p. 773. sq.

§. 10. Lucem hinc fœnerari videtur locus Ap. VII. 3. visionis enim utriusque maxima est similitudo, idem scopus. Dies divinitus protrahebantur Hierosolymorum in obsidione & angustiis per Romanos, electorum gratia Matth. XXIV. 22. donec signo edito: *Migremus*, emigrarent & ita ab excidio exitioque defenderentur, Pellæ securi, omnes fere e Judæis ad Deum conversi. Nec obstat *symbolo crucis* vox σφραγίζειν, sed potius superiore explicationem confirmat, nam sanguine sigillum non solet impleri, officio suo admodum, sed adhibetur ad signum certum imprimendum. *Cruce Christi* certa securitas, piorum gloria Gal. VI. 14. unctorum merito & doctrina Christi, quod ipsum nomen indicat, & ritus primorum Christianorum *signaculo crucis* frontes terentium, ut est apud Tertullianum. Tandem ad cruciformem agitando ritum alluditur Eph. III. 18. Christi benignitas & amor fecerat, ut Deo esset traditus in alimenta animarum omnium, instar sacerdotis vel sacrificii per תנופה Deo ubique præsen-

fenti , æterno & vitæ auctori traditi pro
conservatione veræ doctrinæ in animis Israe-
litarum & corporis sacerdotum.

Longitudo amoris Christi tendit ab æterno
in sempiternos sæculorum decursus. *Latitu-
do* ejusdem spatium totius orbis , ecclesiam-
que catholicam Christum condidisse notat,
fracto pariete intergerino c. II. 14. sq. finibus-
que ecclesiæ ultra gentem Judaicum dilatatas.
Profunditatem mirantur amoris Christi quicun-
que sese ab inferiori barathro , retractos &
vindictos gaudent. *Altitudo* , quod de ter-
ra nos in cœlum sublaturus ibidemque æter-
num regum nobis donaturus sit , denotare
valet. c. II. 6. conf. Amelius.

§. 11. Crucem unquam a piis divino cultu
esse vel affectam vel afficiendam , nemo nisi
id. idolatriæ sibi blandiens hinc colliget , quic-
quid Staurolatrae tentent , quos nec nomino
nec allego , pacis christianæ studiosus. Ca-
saubonus aliique cruciforme Tau rejecerunt,
ut crucis cultum præsidii nudarent. Sed
non explodenda est ideo verisimilitudo , quia
ab aliis in abusum convertitur. Quin potius
studeamus , eos nos esse , quibus *signum cru-
cis* in baptismo non temere extrinsecus appli-
catum frontique (conf. Joh. Faes de *Cereis Ba-
ptismalibus Veterum* L. II. c. 16. p. 182. 183.) im-
pressum sit. Crux Christi nostrum sit deli-
cium , qui nos liberalissime unxit Spiritu
Saa-

Sancto, non sine cruce, non sine perpeffione afflictionis, non sine spe incolumitatis vitæque æternæ, non sine publica fidei purioris confessione, quam Campegius Vitringa satis pie per *in* intelligit in *Apocalypfi exposita & illustrata* p. 395. 96. 97. Sed accedat animi puritas, injuriarum odium, ac sine fuce sinceritas, quibus, ii ab Ezechiele præstitisse dicuntur, quos Deus signo imposito ab exitii servabat procellis. *Signati sigillo in Apoc. VII. erant servi Dei, quales & nos decet esse promptos & ardentis obsequio.*

*Sic pernicies ipsa erit nostra
salus.*

Bernb. Petri KARLII,

Dissertatio

de *Apocalypsi*, non in *Judaismo* jam olim *adimpleta*: qua nonnulla quoque ejus *vifa* (præsertim de *Dracone & Bestiis*) *illustrantur*.

SUMMARIVM.

Nova novi Autoris de *Apocalypsis* argumento opinio. §. 1. Unde profluxerit? §. 2. Num scripta sub Claudio *Apocalypsis* sit? §. 3. & 4. Quid sit τὸ ἐν ταῖς ἁ, Ap. 1:1. §. 5. Quædam jam præterita etiam a Joanne in *Apoc.* descripta. §. 6. *Laodicæa Hierosolymæ* excidio diu superfuit, hocque *Apocalypseos* argumentum non absolvit: idque probat eum septenaria *Epiltoll. Sigill. & Tubb.* distributio, §. 7. tum facta illius excidii jam in *Sigillo 2. & Tuba 2.* descriptio, illustrata, §. 8. Autor novus *Draconem* *Apoc. 12.* cum *Bestia C. 13.* perperam confundit. §. 9. Quorsum visio de *Dracone* pertineat? §. 10. *Draco* septiceps & decicornis certum ad Imperium Romano-gentile respectum habet. §. 11. *Signa Draconis, belligerantis, & Mulieris, masculum parientis, sunt non succedanea sibi invicem, sed parallela.* §. 12. *Draconis cum Michaële prælium, hujusque de illo victoria, quid?* §. 13. *Mulier a Dracone, cæle pulso;*

vexata, inque desertum avolans, quid? §. 14. Differentia Draconis & Bestiæ, utriusque septicipitis & decicornis, amplius illustrata. §. 15. Bestia gemina, altera e mari, altera e terra adscendens, quid differant; & quæ illius *imago*, ab hac procurata? §. 16. Visum Apoc. 20: 1. sqq. de Dracone victo & revincto &c. minus dextre exponitur, illiusque descripti verba mire detorquentur. §. 17. 18. 19. Vindiciæ. §. 20.

§. 1.

Idem Vir Clariss. cujus paradoxam de *Colosso* & *IV. Bestiis Danielis*; & de *Antichristo*, sententiam aliquot jam Dissertationibus excussimus, jam ante quoque Sanctam *Joannis Apocalypsin*, ad Judæos, non absque omni prorsus veri specie, revocari posse, cogitans, novas istas cogitationes suas Ecclesiæ, vel orbi potius erudito communicare, vergente jam seculo præterito non dubitavit; primo quidem per D. *Calixtum*, suo de *Millennio* Libro a p. 74. sqq. insertas, postea vero ab ipso etiam Autore suis de *Millennio Apoc. c. 20. conjecturis*, typis aliquoties exscriptis, subnexas: quas nunc vel paucis etiam strictimque considerare, operæ forte precium erit. *Argumentum* ille *Apocalypseos* esse, dicit, *justum Dei judicium*, ob commissam a *Judeis Christi* & *Apostolorum* *cadem in Hierosolyma funditus delenda exercendum*. *Ut totus liber contineat imaginem flagrantissimæ iræ divinæ, quæ conflagratione ac desolatione Hierosolymæ, gentisque Judaicæ strage, in solatium*

tium Christianorum afflictissimorum, cum horro-
re omnium sese esset manifestatura. p. 58. sq. Quem-
admodum & in præf. p. b. scribit, Paulum,
1. Theff. 2: 12-- 14. Judæorum in Christum
iras, & pœnas iis idcirco impendentes, me-
morantem, totius Apocalypseos argumentum
enarrasse.

§. 2. Concepta hæc ab ipso primum vide-
tur opinio ex illa veterum Judæorum traditio-
ne, qua regnum Messiaë (quod post elapsos
VI. annorum millenarios, laborum ærumna-
rumque plenos, tanquam *Sabbatum*, post
dies VI. profestos expectandum putabant,)
mille annorum spatio circumscripserunt.
Quemadmodum in *Psikta*, *Rabbathi*, & alibi,
frequenter dicitur, יום של משיח אלף שנים
Dies Messiaë est mille annorum: quia videl. Psal.
90: 4. dicatur, *unus dies coram Domino est sicut
mille anni, & mille anni sicut unus dies.* Qua de
re plura in *Dissert. de Antichristo* diximus. Hinc
natus Autori nostro videtur error, (obstetri-
cantibus præsertim *Grotio*, *Ligtfooto* & *Pega-
nio*,) omnia, quæ, ante memoratum illud
Apoc. 20: 4. regni Christi millennium, toto
isto libro describuntur, non aliorsum, quam
ad primitivum Judæorum in Christum ejusque eccle-
siam odium, Deique justissimi judicia, in illos ad con-
summatum usque Judaismi excidium, exercita, per-
tinere; quemadmodum ita & postea, in *Dis-
cursu de Antichristo*, p. 132. suam de *Apocalypsi*
sententiam denuo declaravit: quippe qui

Uua a

ejus

ejus de *Antichristianismo*, quasi veteri *Judaismo*, error ex illo priore ipsi porro natus est; ut error errorem parit communiter. Quamquam non equidem sciam, novum illud Auctoris *evangelica inventum* quemquam hactenus vel suffragio publico approbasse, vel etiam refutasse; quo ille tamen omnes de Ecclesiae N. T. fatis prophetias, quarum *Apocalypsis* quasi compendium est, prorsus enervat, imo explodit, clavemque cognitionis s. intellectus verbi prophetici abscondit ac plane aufert, omniaque ad res dudum praeteritas, & circa ecclesiae infantiam gestas, revocans, sublato spei & expectationis fidelium fundo, *beatitudinem* illam, quam Joannes lectoribus & depositariis *Apocalypseos* promittit, quia tempus prope est, C. 1: 3. in fumum & vaporem vertere allaborat.

§. 3. Principio quidem hanc suam hypothesein in eo fundat, quod, cum GROTIUS, LIGTFOOTO & PEGANIO, *Apocalypsin* jam ante Hierosolymae ruinas, & quidem imperante adhuc Claudio, literis consignatam statuit: quod praedictum ex uno haustum est, EPIPHANIO, in *Alogorum* haeresi §. 33. scribente, factum illud esse ἐν χρόνῳ Κλαυδίου Καίσαρος, temporibus Claudii Caesaris, cum in *insula Patbmo* esset Joannes. Cui vero communis & constans veterum traditio, de *Apocalypsi* sub *Domitiano* scripta, reclamant, quippe quam non solum EUSEBIUS, L. 3. *Hist. Eccl.*

c. 23. & in *Chronico* memorat, (ubi & annum Christi XCVI. determinat,) sed & IRENÆUS confirmat, L. 5. de *Heres.* c. 50. qui ætati JOANNIS proximus, imo & si quorundam relationi habenda fides est, ejus Discipulus, fuit, quam unius, Viri, alias quoque nimis creduli, & in traditionibus ac sententiis veterum referendis minus sæpe accurati, testimonium post tres demum annorum centurias editum, suspectum reddere, nedum refellere: (etsi calculum ei addidisse ANDREAM & ARETHAM, Episcopos Cæsarienses SIXTUS SENENSIS memoret; L. 1. *Biblioth. Sanct.* p. m. 33.) quem sane falsum in eo esse, sibi que minus constare, vel ex eo liquet, quod, eodem loco, ante §. 12. scripserit, Joannem (quem ad Trajani usque tempora vitam produxisse, certum est:) Claudio Cesare, μετὰ ἑπὶ ἐννεήκοντα τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς, post nonagesimum vitæ annum, ex Patbmo insula esse reversum: quæ certe non satis cohærent; quando ex ipsius etiam Evangelio facile colligitur, eum tempore suscitati e mortuis Christi, ætate adhuc juvenili fuisse atque vegeta: Vid. Cap. 20. 4. atque adeo Claudii jam ævo senex nonagenarius esse non potuit.

§. 4. Scio equidem, Syram Novi Test. Versionem in ἐπιγενεφῆ Apocalypseo habere, illum Nerone Cesare in Patbmum insulam, ubi Apocalypsin accepit, esse relegatum. Sed tamen nec illud, eam ante Trajani in Judæos expeditionem

tionem literis esse consignatam indicat. Præterquam enim, quod illam, quæ jaçtatur vulgo, illius versionis antiquitatem & auctoritatem singulari olim disquisitione Academica de *Versionis Syrae Novi Testam. Antiq. & Auctorit.* ex rationibus sat multis ac gravibus, suspectam esse, evici, illamque vix ante quartum a nato Christi seculum (quo etiam vixit EPIPHANIUS,) extitisse, probatum dedi; & quod ipsa etiam Apocalypsis cum aliis simul Novi Test. Libris neque initio translata est, neque postea innotuit ecclesiæ, usive recepta est; (quam & LUD. DE DIEU aliquanto serius, quam reliqui Novi T. libri Syriace sunt editi, ex SCALIGERI demum Bibliotheca evulgavit,) demonstratum jam a SCALIGERO est, (in *Notis ad Chronic. Eusebii,*) ipsum Domitianum etiam *Neronem* fuisse appellatum. Neque credibile est, si vel maxime tum ipsa illa Versio, tum & inscriptio Apocalypseos Syra, antiquissimi esset temporis, illam communi veterum, ipsiusque etiam IRENÆI, sententiæ de tempore consignatæ Apocalypseos repugnaturam, & recentiori, isti ad versæ, ad stipulaturam; quippe quam ipsa etiam Apocalypsis clarissime refellit. Quomodo enim illam sub Claudio potest accepisse JOANNES, cum sane Epistolæ illæ, ad VII. Asiæ minoris Ecclesias scriptæ, C. 2. & 3. (quæ sensu licet prophetico intelligendæ, literam tamen, illi substratam omnino supponunt; id quod post Doctiss. WITSIUM, in *Diatribæ de sen-*

sensu Epistolarum Apocalyp. etiam C. VITRINGA, in *Anacrisi Apocalypseos*, demonstrare fatigat, ætatem seniores satis arguant. Siquidem Claudii jam ævo istæ Ecclesiæ, saltem aliquæ, vel nondum erant fundatæ, vel nondum ita stabilitæ, aut constitutæ, nedum corruptelis tam gravioribus obnoxia, quæ amotionem candelabri, e loco suo mererentur. Vid. C. 2: 5. Cujusmodi corruptio non sine aliquo temporis tractu invalescere in eis potuit. De quibus omnibus conferri potest laudatus VITRINGA, cit. *Anacris. Apoc.* p. 9. 10. Accedit, quod quæ JOANNES de afflictionibus, tum sibi per exilium, tum ecclesiæ etiam, per cædem, illatis, C. 2: 2. 9. 13. 19. C. 3. 10. commemorat, ad Domitiani omnino respiciant persecutionem: siquidem Claudius nec cæde nec exilio in Christianos sæviit. Et si enim Judæos (qua appellatione *Christiani* tunc quoque comprehendebantur) *Roma* jusserit excedere, Act. 18: 2. nusquam tamen ex provinciis aliquos in exilium misisse legitur. Unde nec verisimile est, JOANNEM ex celebri Asiæ oppido in Pathmum ab eo esse relegatum.

§. 5. Neque etiam ex eo, quod Apoc. 1: 1. Deus dicitur indicasse servis suis, quæ oporteret fieri *ἐν τάχει*, celeriter, & v. 3. quorum tempus prope sit: Coll. c. 22: 6. 10. 20. recte colligitur, quasi ideirco omnia JOHANNIS jam tempore proxime imminuerint, non vero maximam partem adhuc multo post fuerint

rint eventura : Cum verba illa non aliud,
 quam revelationis hujus causam indicent.
 (Quod & ipse Vir Cl. p. 60. 61. dicit, licet il-
 lud minus recte intelligat.) Nimirum super-
 vacanea hæc videri poterat revelatio ; quod
 omnia, quæ illa describit, occupata jam du-
 dum erant in mysterio Dei, s. in prophetiis
 V. T. (Apoc. 10 : 7.) Siquidem & MOSES
testimonium dederat omnibus postea dicendis, Ebr.
 3 : 5. Prophetæ ceterique omnia ecclesiæ
 Novi Test. per omnia secula fata abunde præ-
 dixerant. Actor. 3 : 21. & 24. 1. Pet. 1 : 10.
 11. Sed cum tempus jam instaret Restitutio-
 nis, s. implementi, omnium eorum, quæ in
 V. T. prædicta fuerant aut præfigurata, (hæc
 enim est illa ἀποκατάστασις πάντων, Act. 3 :
 21. qua de nonnulli tam mira somniant,) *Testamento*
 quippe Dei Christo iam tradito,
 (ut illud aperiret & exequeretur Apoc. 5 : 5. 7.
 9.) visum tum Deo est, ea, quæ eventura
 erant, distinctius & clarius revelare, secun-
 dum promissionem Christi, Joh. 16 : 13. Id-
 que eo, (1) ut servi Dei (quibus ille semper
 indicat, quæ facturus est, Num. 23 : 23. Amos,
 3 : 7.) cognitis eis, quæ Deus erat facturus,
 certius & cautius in viis ejus ambularent, nec
 imparati opprimerentur. Hos. 14 : 10. Ps. 107 :
 43. (2) ut omnis admitteretur infidelibus
 excusatio, cum in iudicium ante præscriptum
 sponte incurrerent. Jud. v. 4. Actor. 13 : 27.
 Adhæc JOANNES d. v. 1. & 3. Apoc. 1. non de

de plenario rerum istarum complemento, sed de primis duntaxat initiis, exaudiendus est, ut sensus sit, *tempus esse prope*, quo res istæ initium habituræ, seu fieri cœpturæ, sint.

§. 6. Unicum forte hoc non citra omnem veri speciem pro sententia sua allegare potuisset. Auctor, quod, si non ante Hierosolymarum desolationem, sed post eam demum, (Anno nimirum Christi 96. secundum EUSEBII Calculum) scripta sit Apocalypsis, tum illa, secundum ea quæ jam diximus, nihil etiam eorum, quæ ante istud tempus gesta sunt, continere, statuendum sit: cum ad-versa tamen sententia supponat, omnia Ecclesiæ fata, inde ab effusione Spiritus S. usque ad diem mundi novissimum, in ea esse descripta. Sed responderem, hoc ita omnino esse; (quemadmodum & HOFMANNUS, COCCEJUS, aliique, argumentis sat multis ac solidis, imprimis ex Apoc. 5: 5-8. C. 8: 3-7. evidentissime demonstrarunt: etsi nonnulli etiam, cum Cl. VITRINGA, Visa Apocalypseos, fata Ecclesiæ a Domitiani demum ævo, & deinceps, usque ad seculi terminum pingere, opinentur) nec tamen mirum debere videri, quod pauca illa, quæ cum jam evenerant, hic una cum illis, quæ adhuc futura erant, quæ maximam utique partem faciunt, à quibus adeo, tanquam potioribus, denominatio *futuroorum* omnibus tribuitur) JO-ANNI his Visionibus ostensa sint; quippe

Uuu 5

quod

quod eo faciunt, ut, quæ futura adhuc erant,
 (quorum potissimum causa *Revelatio* Joanni
 facta est,) repræsentarentur, non ut a pri-
 mordis suis, jam tum extantibus, abrupta,
 sed tanquam una cum illis serie nexa; (vel
 ipso etiam VITRINGA id alicubi agno-
 scente. Vid. p. 77. *Anacris. Apoc.*) ne videli-
 cet dubius hæreret lector, quando illa, &
 quo ordine, essent eventura? Quapropter
 Spiritus S. scribere exerte jubet JOANNEM,
 tum *quæ jam viderit*, (quænam vero sunt illa?)
 tum *quæ sint*, (s. extent, tempore tunc præ-
 sente,) tum *quæ posthac futura essent*. Apoc.
 1: 19. Quemadmodum & in aliis prophetis æ-
 que fieri assolet, ut cum eventuris non so-
 lum jam extantia, sed & præterita, una re-
 rum serie nexa, ob oculos quasi ponantur;
 quo integre rerum *συναφεία* (*coherentia*) uno
 velut obtutu spectanda exhibeatur. Sicut &
 Christus, mysteria regni cælorum, s. Dei, h.
 e. futura ecclesiæ Christianæ fata, per para-
 bolas repræsentaturus, subinde jam præteri-
 ta cum futuris uno quasi spiritu conjungit.
 Vd. Matth. 20: 1-16. ubi ab Israelitarum in po-
 pulum Dei cooptatione rem orditur. Id
 quod & Matth. 21: 33-40. fieri, patet. Item
 Luc. 15: 42. ff. ubi rursus ejus temporis me-
 moriam repetit, quo Deus gentes, ipsum in
 cognitione habere, insuper habentes, con-
 cessa eis legitimæ instar portionis, sole, lu-
 na, omnique cœlesti exercitu, una cum na-
 turæ

turæ lumine s. Philosophia, Deut. 4: 19. C. 29: 26.) despiciere cœpit, suisque incedere viis permisit, Actor. 14: 16. *Israeli* vero, ceu filio natu majori, s. primogenito, Exod. 4: 22. legem suam, hæreditatis instar dedit, Deut. 33: 4. coll. Psal. 147: 19. 20. eumque durum legis opus exerciturum; sibi que domi quasi suæ in Cananæa serviturum, secum detinuit. Vid. d' OUTREIN, *Emblem. Sacr. Comm.* ad hanc Parab. & MELCHIOR, T. 1. Opp. p. m. 340. ff.

§. 7. Quod vero Autor p. 17. Laodicæam jam sub Nerone, anno ejus decimo, adeoque diu ante Hierosolymæ interitum, terræ motu interiisse, scribit, ut Apocalypsin (quæ statum urbis istius adhuc florentem supponit, C. 3: 14. ff.) tam mature, videlicet tempore jam Claudii scriptam esse, evineat, nescio, quomodo probare possit. PLINIUS certe, qui sub Vespasiano floruit, suo adhuc tempore Laodicææ Tribunal constitutum fuisse, planissime testatur, Hist. N. L. 5. Cap. 29. Nec dubium est ex historia, Laodicænam Ecclesiam longe post tempora scriptæ hujus ad Angelum s. Episcopum Laodicæum epistolæ superfuisse, immo floruisse; quippe in qua inter alia circa vel post medium seculi IV. (ut sunt BEVEREGII rationes, in *Annotatt.* ad Can. Laodic. in *Pandect.* Tom. II. p. 193.) habita est Synodus satis celebris, cujus utilissimi Canones adhuc hodie extant. Verum

rum si vel maxime, Apocalypsin jam ante Hierosolymarum excidium Joanni datam, ponamus; neque sic tamen probabile fiet, illud solum per visa ejus omnia præfiguratum fuisse atque descriptum, cum tot manifesta contrarium doceant indicia. α . Primo enim distributio non Epistolarum solum, sed & Sigillorum ac Tubiciniorum, *septenaria* referri aliorum non potest, quam ad septem Novi T. periodos; æque ac septem illæ ævi prioris per primam dierum hebdomadam, & ea, quæ Gen. 1. de illis memorantur, præfigurata. Vid. WAYENUM, de *Septenario*, d' OUITREIN in *Emblem. sacr.* PUNGLER. *Investigat. mysterii creationis primæ*, JURIEU, in *append. Libri cui inscripsit, Accomplissement des propheties &c.* Conf. & VITRINGAM, *Anacris. Apocal. p. 59. sq. &c.*

§. 8. β . Secundo, manifesta Hierosolymæ vastata & Synagogæ perditæ descriptio, *sigilli secundi* apertionem, secundæ itidem *Tubæ* clangorem, $\alpha\mu\epsilon\tau\omega\varsigma$ excipit. Apoc. 6: 4. (coll. Zach. 11: 9. 10.) Ap. 8: 8. Ibi enim *Sessor ille equi rufi, cui pacem datur tollere e terra, quique mutuarum cædium hominibus autor est; nec non magnus ille gladius, securi, ad radicem arboris posita, (Matth. 3: 10.) respondens, & gladio isti exacuto, ut mactaret mactationem, s. virge Filii Dei, omne lignum spernenti, Ezech. 21: 9. 10. nihil nisi bella illa Judaica, cædesque miserandas, quibus tot Judæorum millia*
sub

sub Vespasiano, & maxime sub Hierosolymæ
 expugnatione extincta perierunt, figurasse,
 censendi sunt (Conf. Esa. 11:4. Mal. 4:6.)
 postquam nimirum, primo recluso sigillo,
 Christus, per sessorem equi albi, arcu instru-
 ctum atque corona donatum, & ad vincen-
 dum exeuntem, designatus, (Apoc. 6:2.)
 Apostolorum suorum ministerio in universum
 jam orbem exierat, gentes arcu veritatis,
 sagittisque verbi sui debellaturus, idololatri-
 am gentilem expugnaturus, & non contem-
 nendas jam passim victorias adeptus esset.
 Conf. Psal. 45:5.6. Hic vero (Apoc. 8:8.)
Mons ille magnus, igne ardens, inque mare proje-
ctus, rursus nihil designat aliud, quam Ju-
 dæorum rempublicam, iræ divinæ flammis
 succensam, Deut. 32:22. illosque in omnes
 gentes dispersos. Non solum enim Regna
 & republicas *Montium*; Gentes vero, eccle-
 siæ scilicet populo Dei, ceu frugiferæ, oppositas,
Marium emblemate in sacris pingi, comper-
 tum est; Sed & ipse Christus Matth. 17:20.
 C. 21:21. indie quasi digito Judaicam mon-
 strans rempublicam, ejus *πενολεθρίαν*, Chri-
 stianorum precibus & fide ita eventuram de-
 scripsit, ut illa, *montis instar, in mare projice-*
retur. *Dicetis*, inquit, *monti huic, transfertor*
ab hinc illuc; & *transferetur omnino*. Conf.
 Apoc. 18:21. Quamquam enim VITRINGA
 secundum hoc Tubicinium, ad Gothorum in
 Rom. Imperium irruptionem referat, facile
 tamen

tamen patet, si vel maxime se ita haberent cetera, (quod vero secus utique est,) nihilominus illam non sic omnem terrarum orbem personuisse, ut Tubicinio tam illustri comparari jure possit. Huic vero consequens est, omnia, quæ subsequenter Sigillis & Tubiciniis sint proposita, posteriora omnino Ecclesiæ temporum ac fata describere. 7. Tertio, plurima maximeque insignia Apocalypseos visa ad Ecclesiæ N. T. primordia referri non posse manifestum est, ex. gr. C. 17. illud de judicio magnæ *Babylonis*, quæ C. 2: 20. *Jesabel* appellatur, & manifesto ad corruptissima Ecclesiæ N. T. tempora, statum *Israëlis Veteris*, *Elia* ævo, corruptissimum referentia, prospicit: item C. 18. excidium istius *Babylonis* suppar excidio *Tyri*, *Esa.* 23: 8. ff. descripto, & in *Hierosolymam* vastatam minime conveniente: (Vid. v. 14. ff.) nec non *Draconis* s. *Satanæ* ligatio, *Apoc.* 20: 2. sq. descripta; quæ ejus devictionem eque cælo ecclesiæ ejectionem, C. 12. pictam, sequitur, *Bestiæ* vero *Antichristianæ* (C. 13.) mari adscensionem præcedit: itemque novi cæli & *novæ terre*, ejusdemque *novæ Hierosolymæ*, in locum cæli terræque veteris *Antichristianæ*, ejusdemque *Babylonis mysticæ*, successio, C. 21: 1. seqq. coll. *Cap.* 20: 11, & *Esa.* 65: 17. C. 66: 22. it. 2. *Pet.* 3: 13. 2. *Cor.* 12: 24.

§. 9. Nimis vero incongrue & contra clarissimam *Spiritus S. mentem*, *Autor* noster

Dra-

*Draconem eundemque Diabolum & Satanam, ut talem, d. c. 12: 3. 4. 7. 9. 12. ff. cum Bestia, c. 13: 1. ff. confundens, tam hunc, quam illam, unum eundemque esse statum Judaicum, opinionis errore statuit, c. 5. p. m. 34. 35. it. p. 28. 17. & 68. Cum tamen Spiritus S. Draconem & Bestiam manifesto ac notanter discernat, utque diversissimos, sibi que invicem succedentes, Christi & Ecclesiae hostes in scenam producat. Quod vel clarissime ex c. 13: 2. & c. 20: 10. patet, cum ibi Draco Bestia, post ipsum jama Michaële ejusque angelis devictum, & e caelo in terram dejectum, Apoc. 12: 9. (ne eo porro cum successu, quo ante, Ecclesiae, jama tuto collocatae, nocere posset, Apoc. 12: 14.) è mari egressa, eique adeo succedenti, in persequenda Christi Ecclesia lampada cum throno potestateque sua magna tradidisse; hic vero Draco, omnibus ipsius machinationibus jam elusis, projectus tandem esse dicatur in eundem, in quo Bestia quoque fuerit, lacum, igne ac sulphure ardentem. Quae utique distincta Draconis & Bestiae regna, distinctaque hostium Christi contra ecclesiam machinationes arguunt: quae tamen Autor sua explicatione non distinguit, aut distincte ostendere potuit, sed confundere, s. pro uno eodemque regno Ecclesiae Christi adverso & infenso, ejusve persecutione, habere necesse habuit. Certe Spiritus S. liquido ostendit, Draconem jam de
pro.*

provincia abeunte, s. cedere coacto d. c. 12: 9. 12. 17. ejus loco regnaturam *Bestiam*, cui *Draco potestatem suam magnam ac thronum suum esset datura*, C. 13: 2. quia nimirum jam victus a Michaële prostratusque non posset amplius gentes τῆς ὀικουμένης, h. e. imperii Romani, Luc. 2: 1. C. 4: 5. Actor. 17: 6.) sicut ante, seducere (C. 12: 9. C. 20: 13.) ad erasam illam idololatriam & apertam Christiani nominis persecutionem; adeoque leonina pelle deposita vulpinam induere, seque ex Dracone quasi in bestiam, ex Christianorum persecutore in eorum Doctorem, in domo Dei sedentem sed larvatum, vel Pseudopphetam, transfigurare, atque ita regnum suum Bestiæ tradere opus habuit, eque re sua fore, arbitratus est. Si igitur vel maxime *Draconis* machinationes c. 12. ad Judæorum & Pseudapostolorum vim atque fraudes, in evertenda Christi ecclesia adhibitas, spectare dicamus, (quod recte etiam fieri, ipse quoque Coccejus putavit,) succedentis tamen *Bestiæ* furoris (C. 13.) ad easdem referri minime potuit, sed ad alia ecclesiæ mala, illis posteriora, oportet respiciant.

§. 10. Quanquam visum illud de *Dracone*, ecclesiæ inde ab Apostolorum tempore usque ad Constantinorum ævum, facta s. persecutiones, ei non a Judæis solum, sed & a gentibus Romanis illatas, & non Judaismi tantum, sed & gentilismi Romani, excidio termina

minatas, præfigurasse, tam certum sit, quam quod certissimum, nullaque negari ratione ab eo possit, qui Ecclesiæ tum Apostolicæ, sub Pseudapostolorum & Judæorum vexationibus, tum postapostolicæ, usque ad Constantinorum tempora, sub persecutionibus Imperatorum Romano-gentilium, sub Diocletiano præsertim & Maximiniano Herculeo, nec non sub Galerio, Maximino atque Maxentio, conditionem & statum ferme desperatum, notabilissimamque rerum ejus, ad incitas tunc redactarum, mutationem & *καταστροφὴν* mirandam prorsus atque lætabilem fat habet compertam, qua Christianismi causa, jam pene desperata, in omnium gentium oculis subito tandem atque inopinato triumphavit, isque ab interitu quasi præsentissimo vindicatus est atque emerit. Quam in rem Cl. VITRINGÆ ad c.12. Apocal. Commentarius, *Anacris.* p. 725. ff. & 710. ff. legi utique meretur: licet ille *Judaismi* nullam hic habendam duxerit rationem; quod mihi quidem secus videtur, persuasissimo quippe v. 10. c.12. ad status & templi cultusque Judaici, Christianæ rei primordiis adversissimi everSIONem non minus, quam ad gentilismi, quam Diabolismi in Romano Imperio sub Constantinis coeptam, spectare; licet ad postremam hanc etiam Coccejus hic plane non attenderit.

§. II. Operæ vero precium forte erit, nec a rei, quam nunc agimus, scopo alienum, illam hoc loco Spiritus S. mentem vel strictim

hic demonstrare. Animadvertendum nimirum est, I. Diabolum, ut Draconem *septicipitem & decicornem*, certissimum habere respectum ad Imperium Romano-gentile, utpote cuius Characteres tum in Daniele, c. 7. tum in Apocalypsi passim, sunt, esse *septiceps & decicorne*. Vid. Apoc. 17: 9. 10. *Septiceps*, in relatione ad populum Romanum, eiusque septem Montes, totidem Romani imperii sive capitales provincias vel regna, sive (ut Vitringæ placet) Rectores & Præsides, paganismus adversus Christianismum, proxime ante Constantinum M. patrocinatos, referentes, d. c. 17: 9. 10. *Decicorne* vero, ratione sive decem Imperatorum Romano-gentilium, Ecclesiæ ex vulgari sententia persecutorum, (quos Augustinus, L. 17. de Civit. Dei, c. 52. memorat,) sive gentium & provinciarum, Romano populo subjectarum, in quibus vis & robur ejus erat situm: (quod Vitringa rursus præfert) ut adeo *Draco hic septiceps*, Diabolus sit, ut se ostentans in populo Romano (proprie sic dicto,) *urbem septicollem* habitanti, vel, ut vestitus ingenti corpore imperii Romani; adeoque & politiæ Judaicæ, quæ ad illud tunc quoque pertinebat: quamobrem & *magnus* hic appellatur. *Rufus* vero, vel ob cruorem tot victimarum, quem lamberat, vel ob sanguinem Christi & Christianorum, quem absorpserat, aut absorpturus erat: Et *cauda sua tertiam stellarum cœli partem trahens*, quod tum

tum potentiae Romanae firmate, tum fraudibus sacerdotum, quin & Pseudapostolorum, (Luc. 11:19. 2. Cor. 11: 2. 13. 14. coll. Esa. 9: 15.) quam plurimos ex Christianis etiam Doctoribus vel opprefferit, vel ad apostasiam adegerit. Conf. Dan. 8: 10. & 25. Quae vel una observatio ad intelligendam rectius pugnam istam, & reportatam a Dracone victoriam, haud parum faciet.

§. 12. II. *Signum illud praelii Michaëlis cum Dracone, & victoriae illius de hoc reportatae, d. Apoc. 12: 7. sq. non esse signo Mulieris parturientis, & Masculum parientis, v. 1-6. (quod Judaeorum repudio esse posterius, velex collato Esaiae loco, c. 65: 7. 8. nec non ex Mich. 5: 2. liquet;) succedaneum, sed ei, ex parte saltem parallelum. Ut ex eo constat, quod Mulieris in desertum avolatio, qua de v. 14. ejusdem respondeat fuga in desertum, de qua v. 6. Unde certo colligimus, partui Mulieris, v. 5. (quo illa filium suum, eundemque filium Dei, Psal. 2: 7. edidit; non, qua hominem, sed qua pastorem, h. e. Regem, gentium, d. v. 5. coll. d. Psal. 2: 9. non, qua regnum suum consummatum capeffentem, ut in tuba septima, Apoc. 11: 15. sed qua regnum suum inchoatum ineuntem, quippe cui Pater jam dederat gentes in haereditatem, d. Psal. 2: 8.) concinere illud εμπίσιον v. 10.; quemadmodum cum cruciatu Mulieris & machinationibus Draconis, v. 2. 4, coincidit praelium Michaëlis*

cum Dracone, III. Michaëlem concertasse cum Dracone, tum qua Diabolo, Calumniatore, accusante fratres Apostolorum, Ebræos, in conspectu Dei die nocteque (videlicet in templo Hierosolymitano per cultum Leviticum & legem execrantem. s. per sacrificia legis, mane ibi ac vesperi oblata. Conf. Actor. 26:7. Apoc. 7:15.) quin & Serpente antiquo, ecclesiam per Pseudapostolos seducente, 2. Cor. 11:3. 13. 14. tum qua Satana, Adversario, nempe omnium hominum, h. e. gentium, 1. Thess. 2:15. seducente totum terrarum orbem, per idololatriam gentilem.

§. 13. IV. Prælium illud gestum esse in cælo, h. e. in regno cælorum, s. Ecclesia N. T. cujus status jam non erat amplius ἐπίγειος, terrestris, sed ἐπεργίνιος, cælestis,) Vid. Eph. 3:6. C. 1:3. Ebr. 9:23.) quoniam Draco, (qui v. 3. in cælo locatur: quomodo & Ephes. 6:12. τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας spiritualia malignitatis locantur ἐν τοῖς ἐπεργίνιοις, in cælestibus, sibi isto tempore in regno cælorum eum adhuc vindicabat locum, quem sub Vet. Test. habuerat tam inter Judæos quam inter gentes: Ubi inter illos obtinuerat τὸ κράτος τῆς θανάτου, mortis imperium, per execrationem legis, quæ promissioni, propter peccatum nondum expiatum, accesserat, (Gal. 3:19. Rom. 5:20.) per quam ipse Judæos pariter omnes, illa durante œconomia, mortis egerat reos, Ebr. 2:14. 15. idque juste & potenter, Esa. 49:24. sq. suam quippe habens πανοπλίαν, armaturam, omni-

omnimodam, peccatum & legem, cui confide-
ret: Luc. 11: 22. coll. 1. Cor. 15: 56. inter *has*
vero similiter regiam exercuerat potestatem,
Actor. 26: 18. ipsi omnia mundi regna datam,
Luc. 4: 5. 6. per quam gentes omnes in mor-
te spirituali captivas tenuerat, (Vid. Eph. 2:
1.) quod illæ per vocem Filii Dei s. evange-
lium ipsis sub N. T. annunciatum, in vitam
revocarentur. Joh. 5: 25. Unde toties ille
mundi princeps ab ipso Servatore insignitur.
V. Joh. 12: 31. cap. 14: 30. cap. 16: 11. Sed
tempus nuncaderat, quo ille *mundi princeps* erat
condemnandus, abrogato ei omni jure suo ju-
re potiori, d. Joh. 16: 11. adeoque è possessio-
ne mundi *ejiciendus foras*; d. Joh. 12: 31. quam
tamen retinere ipse omni virium contentio-
ne nitebatur. Unde pretium illud sanguino-
lentum, v. 11. h. l. V. *Victoriam* itaque, quam
Michael ejusque Angeli a Dracone & Angelis ejus
reportarunt, pertinere non tantum ad supe-
rationem Judæorum, Pseudapostolis primum
ex Ecclesia exactis, ac deinde Sacerdotibus
cum templo & cultu Levitico extirpatis; (v.
Luc. 10: 18. 19.) sed etiam ad debellationem
Romanorum, (non per arma carnalia, sed
per sermonem evangelii & tolerantiam affli-
ctionum: quo versus hic 11. pertinet, Coll.
Rom. 8: 37.) ejectis ex imperio Romano ty-
rannis persecutoribus, ut imperium τῆς οἰκου-
µένης (v. 9.) Christianis cederet. v. 10. & 5.
Hi enim sunt ex angelis Draconis; (nam si-
cut *Angeli Michaëlis sunt fratres Apostolorum*,

v. 10. 11. ita & angeli Draconis sunt homines regno Christi adversi) quibus devictis dejectisque, devictus & dejectus est è cælo ipse Draco. Quare ordo versuum 8-11. hic esse videtur: α. Non prevaluerunt Draco ejusque angeli, v. 8. quia vicerunt eum fratres Apostolorum, v. 11. (vicerunt autem eum, ut Diabolum per sanguinem Agni; sed ut Satanam, per sermonem testimonii sui, s. evangelium, patientiam) β. Locus eorum non est inventus in cælo, d. v. 8. quia projectus est Draco in terram, tum ut Diabolus, vel accusator fratrum, v. 10. tum ut Satanus, vel seductor totius mundi. v. 9. γ. Per illam projectionem facta est salus & potentia; per hanc vero regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus. d. vers. 10.

§. 14. Hinc persecutionem Mulieris, & fugam ejus in desertum, victoriam illam subsequutam (quæ v. 13. proponitur, at v. 15. & 16. exponitur,) referendam esse tum ad discrimina illa, quæ post Constantini tempora ecclesiæ denuo oblata sunt à Juliano, a regibus Arianis, & per inundationem barbarorum, tum ad ereptionem Ecclesiæ, cum illi vel extincti sunt, vel regressi, vel, cooptato Christi nomine, Christianis permixti. Ex hoc enim nutrita demum est ecclesia in loco ipsi parato, v. 14. cum, gentibus in ecclesiam confluentibus, opesque suas in eam congerentibus, ea sensim incrementum cepit, nemine contrariante, in magna illa Imperii Romani civitate. (Vid.

(Vid. Psal. 107: 4-7.) Quod tamen hic consideratur tanquam *desertum*: procul dubio per allusionem ad desertum Arabiae, nec tamen sine respectu tum ad Ægyptum, tum ad terram promissam. *Ægyptus*, territorium est draconis, qui in toto mundo s. orbe Romano, (cujus Judæa pars erat,) sicut *Draco* in fluvio suo, commorabatur. Vid. Esa. 51: 8. Ezech. 29: 3. *Terra promissa*, est hæreditas mundi (Rom. 4: 13. 17. Psal. 2: 8. Ebr. 1: 2,) post Antichristi demum everisionem acquirenda. Etsi enim alias imperium Romanum etiam *Cananean* referat; hic tamen cum *deserto* exserte & notanter comparatur: ne videlicet Christiani regnum Christi inchoatum haberent pro jam consummato, & quasi hæreditatem jam mundi omnem essent nacti, in deserto corquiescerent. In quo a plerisque tunc peccatum est. Quod non animadvertunt, qui hic præpostere versus 4. & 5. de insidiis Herodis, Christo e Maria nascenti parandis, deque illa hujus nativitate, ejusdemque in cælum adscensione, explicant: quamquam ad illorum figuram hic etiam (ubi de Christo non personali, sed mystico, sermo est,) alludi, haud iverim inficias.

§. 15. Tantum adeo abest, ut Apoc. 12: *Judeorum* duntaxat adversus *Apostolos* ac *Christi* discipulos *persecutiones* indicentur, quibus tamen *Christiani* non succumbant, sed a *Christo* mirabiliter *serventur*; quod Noster p. 67. opinatur; co-

rundemque adversus Christum ejusque discipulos
 persecutiones, harumve incrementa &c. sequen-
 ti etiam C. 13: 1. ff. ostendi, citra omnem veri
 speciem statuit. Quod vero quam falsum sit,
 ex iis, quæ superius jam, §. 9. de imperio-
 rum *Draconis*, Diaboli, hostis ecclesie aperti,
 (de quo c. 12.) & *Bestia*, hostis ejusdem larva-
 ti, (de quo c. 13.) differentia, ex c. 13: 2. &
 c. 20: 10. attulimus, constare satis potest.
 Cujus differentie tam notabilis atque palpabi-
 lis manifestissimum quoque in eo habemus in-
 dicium, quod, licet *Bestia* æque ac *Draconi* X.
cornua, & VII. dentur *capita*, exserte tamen
 dicitur, *Bestia* *Cornua* gestare *diademata*, quæ
 vero eadem *diademata* imposita non fuerant
cornibus Draconis, sed ejusdem *Capitibus*. Quod
 inde fieri, Cl. VITRINGA p. 699. judicat,
 quod *Romani Imperii populi*, in quibus imperii
 istius vis & robur consistebat, quo tempore
Draco illi præerat, (hoc est, illud *Christi* no-
 men nondum dederat,) *diademata* nondum ge-
 starent, h. e. formati hætenus non essent in
Regna, sed ut subditi illius haberentur imperii:
 at sub imperio *Romano mystico*, quod est *Romæ*
Antichristianæ, plurimi istorum populorum,
 qui olim *Romæ* servierant, sua acciperent
diademata, h. e. formarentur in *Regna*, quæ
 potestatem suam libere, non coacte, *Romæ*
 traderent. Vid. Apoc. 17: 13. 17. Annon
 igitur perperam diversissima hæc, tam sollici-
 te sapienterque a Spiritu S. distincta, a novo

Interprete confunduntur, summaque adeo
 imis miscentur, ut admiranda illa fatidici Spi-
 ritus Sapia, tamque adoranda divinæ præ-
 visionis mysteria, luci jam exposita, obnubi-
 lentur rursus, densissimisque errorum tene-
 bris involuta, imo penitus immerfa, æterna
 oblivione sepeliantur?

§. 16. Et quomodo, quæso, *adorationem Be-*
stie, Draconi jam devicto atque pulso succen-
 turiatæ, *ab omnibus terræ incolis factam*, in Dra-
 conem vero, qui potentiam suam, thronum-
 que suum, Bestiæ dederat, eopse redundan-
 tem, (de qua Apoc. 13: 2.) explicabit, nisi
Bestiam, emari adscendentem, a Dracone, in cæ-
lo collocato, indeque in terram detruso, c.
12: 3. 7. ff. distinctam multitudinem agnos-
cat hominum animalium, spiritum non
habentium, (2. Pet. 2: 12. Jud. v. 10. 19.)
 Constantinorum ævo ex mundo gentili in ec-
 clesiam translata, Christi que nomen profi-
 tentibus adjunctam? A qua vero distinguen-
 da rursus *alia venit Bestia, bicornis, ex ipsa ter-*
ra adscendens, ex nostra sententia, Clerico-
rum Antichristianorum collegium, ex ipsa
illa ecclesia tunc dicta catholica paulatim ex-
surgens,) *quæ facit ut terra ejusque incolæ primam*
Bestiam adorent. Quæ, etiamsi ad Pseudapo-
 stolos Judæorum, Christianos Diis dictis &
 legi s. Judaismo denuo obstringentes, detor-
 quere velit, & in speciem quodammodo pos-
 sit Autor; sequentia tamen, aliorsum illa re-

ferenda esse, omnino clamant, ubi porro additur: *Eisque, terræ incolis, dicit, ut Imaginem faciant Bestiæ, (quam opinatum illum Christi esse Vicarium representantem scilicet ecclesiam universam s. Catholicam, nullum superest dubium) efficiens, ut, quinon adoraverint illam Bestiæ imaginem, occidantur.* Quomodo, quæso, in *Bestiam* Judaicam, eundemque (ex Autoris mente) *Draconem*, illa convenire possunt? Ex nostra vero sententia, quæ *Draconem* a *Bestia*, etiam *septicipite*, ita ut dictum, distinguit, hæc ita explicantur & intelligentur rectissime, *Bestiam* istam adoratam esse, cum promiscua illa hominum colluvies vera Christi habita est ecclesia, cui nec inferiorum portæ essent prævalituræ: Matth. 16: 18. *Bestiæ* vero *Imaginem*, cum *Pseudoprophe-ta* ut *Christi* colebatur *Vicarius*, *Ecclesiæ*que *caput*, imo ipsa *ecclesia*, ut loquantur, *representativa*, agnoscebatur, quippe in quem totius *ecclesiæ*, quin ipsius *Christi*, omnis transfusa esset autoritas. Ut ita *Draco*, qui potestatem suam *Bestiæ* dederat, & conficiendæ adorandæque *Imaginis Bestiæ* autor principalis fuerat, adoretur in illis, cum nempe honor ille, qui Deo exhibebatur, tanquam opinato, tum potestatis *Bestiæ*, tum autoritatis *Imaginis* ejus, *Autori*, in ipsum revera *Draconem*, ceu verum utriusque autorem, redundabat.

§. 17. Ecquid autem de petulanti illa verborum
rum

rum Spiritus S. Apoc. 20: 3. 7. sqq. detorsione dicam, qua omnia in ironias falsasque irrifiones, interrogationesve primum ironicas, sicque deinceps in meras negationes, transformat Noster, quæ stilo tam gravi, tamque graphice & serio, de gravissima persecutione, ecclesiæ a Dracone, post millennariam ipsius in carcere ligationem rursus solvendo, inferenda, affirmandi utique sensu edita sunt, vaticinia; ut nimirum evincat, nihil ibi aliud dici, quam Draconem eundemque (ex autoris opinione) *Bestiam vel Babylonem, h. e. Hierosolymam vel Judaicam gentem, Christo adversam, quando semel a Deo fuerit punita, dispersa & dissipata, nunquam ad eam persecutionem redituram: quod ille p. 34. istius ἀεὶ ἰσχυρῆς argumentum esse, ex hypothesis statuit. Hic ille, Mille quidem annos (v. 2. sqq.) longissimum, quin omne, regni Messiani (ad novissimum usque diem) tempus designare, contendit; quod vero v. 3. dicitur, post elapsum millennium Draconem rursus oportere parvo tempore solvi, ad instigandas de novo contra ecclesiam gentes; idem esse, ac nunquam Judæos vires recollecturos, desiturosque alias etiam gentes ad persecutionem permovere, quod ante fecerant. Das würden sie hinführo wohl müssen bleiben lassen. Non illos ante vires perditas collecturos, quam mille fuerint finiti h. e. nunquam &c. p. 36. Unde verba d. v. 3. postrema, postea oportet ipsum solvi parvo tempore, sic ἀφ' ἑσθ' ἡμέρας. Scilicet, & postea solvatur ac di-*

dimittatur sine periculo. Postea, finitis primum mille annis, s. quando longissimo tempore succubuerint, ut nunquam iterum se colligere possint; Tunc omnes pii iridebunt & subsannabunt hostes, tanto tempore prostratos & penitus exhaustos, dicentque. Veni nunc, qui ecclesiam Christi olim infestabas, veni jam, si vir es: solve, abjice, vincula tua, quibus hactenus detentus fuisti; vires fume, si potes. Ita ergo oportet eum solvi, h. e. omnium animi agnoscent, hostem penitus prostratum, ut cladem longissimam objectare possint, false ad pristinam persecutionem provocando, & imbecillum quasi urgendo. So wird er dan heraus müssen/ so werden sie ihn gnug spotten/ und dem ohnmächtigen kühnlich vorhalten/ hätte er das Herk jetztund/ so sollte er &c. Nimis certe brevis erit illa virium collectio, (quæ salsa sit irrisio extreme imbecillitatis.) Es wird gar zu kurz wahren/ daß sie sich wieder sammeln/ (subridendo,) h. e. Sie werden sich nicht wieder fassen können &c. Quæ duntaxat recensuisse, est refutasse.

§. 18. Sed & ab ipso Spiritu S. postea v. 7. 8. 9. ista refutantur planissime. Ubi, exacto isto millennio, Draconem certo certius iterum esse solvendum, testatus est, his verbis quam maxime seriis, neque ex ullo hostes irridendi, iisque insultandi, affectu prolatis: Et quando finiti jam fuerint mille anni, tunc solvetur -- & exhibit -- seducturus gentes -- ut eas congreget tanquam arenam maris: & ascenderunt (h. e. stilo prophetis usitato, tam certo ascendent,

dent, in planiciem terra, & cinxerunt (cingent) exercitum sanctorum, -- & ignis descendit (h. e. certo descendet) ex caelo &c. quæ multo certe minus illa superiora ex v. 3. & oportet eum solvi,) ita in meras ironias falsasque irrisiones detorqueri patiuntur. Sed ecce! tamen quomodo illa ipsa etiam verba, tam clare licet Draconis istius solutionem affirmantia, quin clamantia, exponere, (ludibrio puta irrisorum Scripturæ, veritatisque Christi hostium,) vel potius eludere, Noster allaboret. Sensum v. 7. hunc esse dicit, p. 41. Quando mille anni fuerint finiti, s. quando, longissimo jam tempore subactis Judæis, fidem suam tenuerint Christiani, tunc tunc solvi poterit hostis, satis enervatus, imbellis, prorsus exhaustus: So mag man ihn nur lassen lauffen/ so kan er dan nichts mehr thun. (quæ falsa sit exprobratio virium prorsus consumptarum.) So mag er nur herkommen/ kann er/ hat erß Herß. Tunc biscat hostis, si possit, &c. Quod idem sit, ac si negative dicatur, Non prodibit, non revertetur e vinculis. Animum non habebit, ut tentet, quod olim &c. Versum v. 8. Et exhibit &c. ita pervertit: Prodeant tunc, & gentes ad persecutionem Christianorum irritent & commoveant, quod olim ubique tentaverant: Sie thuns mehr und wagens; sie mögen das Herß haben/ und instigiren mehr die Heyden &c. p. 42.

§. 19. Deinde & p. 43. versum 9. quo expeditio hostium novissima, contra ecclesiam cer-

certissime suscipienda, graphice admodum atque distincte per circumstantias quoque & singula rerum momenta prædicatur, sic vexat: *Tunc sane, si ausuri sint, illud in Judæis implebitur, quod falsa olim irrisione Babylonis & eorum auxiliis objecit Ezechiel. Gott wird die Feuer lassen vom Himmel fallen &c. Quas omnes acutas exprobrationes nihil aliud significare, dicit, quam puram negationem, Judæos id nunquam amplius tentaturos. &c. Quis vero vel fando unquam tantam audixit aut vidit scripturas pervertendi licentiam? Imitari autem Joannem in falsa hac hostium subsannatione, & virium exhaustarum exprobratione, solum & exemplum Prophetarum Veterum, credit, Ezechielis maxime, cujus caput 38. & 39. similem in modum in meras interrogationes ironicas & falsas irrisiones vel insultationes commutat, ut ita orationes Spiritus S. absolute affirmantes, in hypotheticas, de conditione impossibili, adeoque simpliciter negantes, vertantur aut pervertantur, & Propheta sic negare videatur, quæ tamen certissime clarissimeque ponit & affirmat: subintellectis passim, aut mente insertis, voculis, scilicet, *si placet, si potes, si credis, si audes, si vires, quasi vero. &c.* Quomodo v. g. versum 17. & seqq. d. c. 38. ubi absolute ipse affirmat Deus, de Hoste illo, Gogo, in populum suum olim immittendo, præcos jam vates antiquis temporibus cecinisse, ita p. 27. in sensum prorsus contrarium transformat: *Tunc sis ille, quem ad**

castigandos Israëlitas me adducturum olim dixi? Tene adhuc semel admittam? An credis? Quam vere Deus vivit, non permittet Deus, ut redeas. &c. Et verba versus 1. 2. c. 39. ita ibid. explicat, (s. potius implicat,) Hæc, crede, justa ac vera Dei de te sententia, quam tene. Ich will dich auffeinander mahl mehr herlocken/ wie ich vor diesem sagte zu den Propheten. Ich will dich mehr hieher ins Land bringen; verlaß dich darauff. Ad- dit, ironice & false hæc dici; idque legendo toni modulatione clarissime commodissimeque posse signifi- cari.

§. 2c. Verum, siccine ludis Vir Clarissime, in re tam seria, nec Sacrosancti te Numinis reverentia à blasphemis istis lusibus aut illu- sionibus prohibet? st. Quid non, quæso te, per nefanda illa sacerimæ Hermeneuticæ tuæ, vere quodlibetariæ, artificia in ludum & jocos verreres? Quomodo, dic sodes, his ita licitis, vel humana consistere societas, juraque tum divina tum humana contractusque commer- cia & fœdera inter homines salva porro at- que inviolata manere quibunt? Quid diceres, o bone, si quis chirographum, tibi de certa pe- cuniæ sorte redditum, vel Testamentum, in tui favorem scriptum, ista vellet ratione ex- plicare, spemque ita tuam & expectationem prorsus eludere? Possset utique, temet ipso præceptore & magistro, facillime & quam com- modissime, quomodo libet & quibuscunque etiam verbis aut formulis illa fuissent conce-
pta,

pta, (si illi te quoque & verba scripta ita
vexandi adesset animus,) ironice nimirum
intellectis omnibus, & subintellectis quoque
passim istis aut similibus verbis : *Scilicet, siere-
dis, si placet, quasi vero, &c.* nec non asser-
tionibus in falsas *interrogationes* primum, dein-
de in *negationes* absolutas, transformatis:
quemadmodum Tu ipse sic omnia, rectissi-
me etiam, & quam maxime serio, dicta, &
scripta, in sensus plane contrarios per-
vertere ac detorquere soles atque doces. Ri-
deres tamen, scio, si non detestareris, ejus-
modi hominem, ut *Sycophantam, imposto-
rem*, qui non tibi solum fumum vendere, sed
vel omnia etiam jura atque commercia ista
ratione violare atque evertere, communia-
que humanæ societatis vincula & contractus
omnes luxare vellet, Deoque & hominibus
petulantissime illudere, *judicio* denunciare.
Nec dubium, quin, istuc ubi deventum esset,
eo ille ut ex sententia *judicis, vel iniquissi-
mi*, damnatus multaretur : quantumvis ille
sibi egregio hoc suo *εὐρήματι* vel tacite atque
in sinu fuisset gratulatus, & vel mille secum
plausus jam agitasset. Sed horum jam satis
est, verbum non amplius addo.

SAMUELIS VVEREN-
FELSII,

ORATIO

DE

recto Theologi

Z E L O,

Dicta Basileae XI. Kal. Julii a. 1722. cum
Rectoris Academici munus
fufciperet.

CUm Rectoratus Academicus partim
vestra, Partes Academici, bene-
volentia, partim sorte ad me indi-
gnum fit delatus; precor Deum
O. M. qui sortem ita direxit, ut,
quod sæpe fecit, quodque adeo facere illi so-
lenne est, & nunc vase infirmo & fragili, in-
strumentoq; per se parum idoneo, uti dignetur
ad aliquid nomini suo gloriosum, Acade-
miæ salutare, docentibusque ac discipulis
proficuum per illud hoc anno perficiendum.
Quando vero in more positum est, ut Re-
Class. VI. Fasc. VI. Yyy etor

Et or qualicunque Oratiuncula Magistratum suum exordiat, aptum ejus argumentum diu multumque quaerenti, postquam nunc hoc, nunc illud in mentem venit, tandem singularis ille fervor multorum Theologorum, in dogmatibus à Patribus acceptis, sive illa magni sive minoris sint momenti, solícite conservandis, omnibusque ab illis vel tantillum abluentibus novitatibus & heterodoxiis è Scholis & Ecclesiis procul arcendis & eliminandis; fervor, inquam, ille in tot hodie locis, longinquis pariter & propinquis conspicuus, ansam mihi dedit de Recto Theologi in erroribus noxiis profligandis Zelo semel iterumque cogitandi. Cumque postea putarem, meas fortasse super tali argumento cogitationes, licet, ut quod res est, fatear & vos ipsi facile deprehendetis: admodum tumultuarias, illustri huic panegyri haud ingratas auditu futuras: Constitui, illas, qualescunque sint, vobiscum Oratione simplici prorsusque incomta communicare; daturus operam, ut, quando aliter non potero, perspicua saltem brevitate vestram mihi benevolentiam conciliem attentionemque conservem.

Theologum, cum in arduis Religionis Christianæ dogmatibus asserendis, tum in periculosis erroribus confutandis, talibusque zizaniis, quantum in ipso est, è vinea Domini sui evellendis & eradicandis, non remissum,

missum, languidum, frigidum, imo nec tepidum esse debere, sed, quod erudito quondam in Scripturis Judæo fuit laudi datum, hoc in negotio *SPIRITU FERVERE*, (*Actor. XVIII. 24. 25. Rom. XII. 11.*) semper inter Christianos creditum fuit, & vere recteque creditum. Qui enim hoc opus tractat, tractat *Opus Domini*, quod qui *segniter & dolose facit*, illum *maledictum* divina oracula pronunciant, (*Jer. XLVIII. 10.*) Nec sane parvi momenti res est, sedulo curare, ut omnes, ac præcipue qui nostræ fidei sunt commissi, in iis, quæ Numinis summi gloriam & cultum æternamque hominum felicitatem spectant, rectum teneant cursum & à veritatis tramite nusquam aberrant. Et quanquam non is ego sim, qui religionem totam nuda & simpli veritatis cognitione absolvi statuam, semper tamen existimavi, ut theoria omnis ad praxin dirigi debeat, ita contra omnis praxeos sanam theoriam fundamentum esse, pietatemque & religionem veritatis divinæ cognitioni non superstructam, non tam pietatem quam superstitionem vanamque illusionem esse, neque unquam divellenda esse hæc duo, quæ Apost. Paulus tam sollicitè conjungit, (*Tit. 1. 1.*) *εὐσεβείας & ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας.* Veritatem igitur, quæ Christianæ pietatis basis est & fundamentum, nunquam à Theologo, pietatis studioso, considerandam esse ut *ἀδιάφορον π*, cujusque studium sine periculo negligi possit,

sed in ea & adstruenda & vindicanda acrem
mentis contentionem zelumque ferventem
ab eo requiri. Hoc vero cum tam certum
sit, nulla ut probatione indigeat, unum tan-
tum in hac materia quæritur, qualis iste fer-
vor esse, & ex quo fonte promanare debeat.
ut *verus* & laudabilis *Zelus* merito vocari pos-
sit & qua ratione à *Zelo Spurio* & *Ἰευδονίμω* sit
discernendus: De qua re, quæ sit sententia,
paucis vobis aperiam.

I. *Primum* itaque, quod in Theologi zelo
requiro, est, ut zelus illius sit κατ' ἐπίγνωσιν, cum
debita *scientia* & *cognitione* conjunctus, i. e. ut
Theologus non prius effervescat, quam cla-
re & distincte cognoscat, pro quo, contra
quid & quare effervescat, quodnam & quale
sit illud dogma, cuius aut defensionem aut
refutationem tanto animi ardore suscipiat:
cujus quidem rei gratia Zelum semper præ-
cedere debet exactum atque ab omni sinistro
affectu partiumque studio purgatum & defæ-
catum examen. Præposterus enim Zelus
est, si à Zelo incipimus & tum demum quæ-
rimus & examinamus, quid illum accenderit,
fervorique nostro causam dederit.

Non omnem zelum cum scientia conjun-
ctum. imo hunc plerumque cæcum & sci-
entia destitutum esse, vel ex hoc patet, quod
ingens ubique reperitur zelotarum nume-
rus, clara autem & solida veritatis cognitio
res est admodum rara: ex quibus duobus

invicte concluditur, non modo zelum solidamque scientiam non semper in eadem sede morari, sed hæc duo rarissime esse conjuncta; imo si probe attendimus, ubi potissimum maximus conspiciatur zelus, deprehendemus sæpe, ibi plurimum fervoris esse, ubi minimum est luminis.

Sed exemplis, quod dicimus, illustrandum & confirmandum est. Cæcus v. g. & sine scientia zelus est, quando alios homines magnopere averfamur, non quod certo cognoscimus, dogmata eorum noxia & periculosa esse, sed tantum propter odiosa, quibus insigniuntur, nomina, licet nec clare sciamus, quid mali ista nomina significant, neque an & quousque illis, quibus imponuntur, conveniant. Ita si ex multis quæris, quare hi illi tam sibi sint invisi, & quid pravi & periculosi illorum contineat doctrina, nil habent, quod respondeant, quam se a Viris gravibus audivisse, hos *Novatores, Heterodoxos, Hereticos, Fanaticos, Anabaptistas, Arminianos, Socinianosve* (a) vocari, aut aliud quoddam odiosum nomen illis imponi. Cæcus itidem & sine scientia zelus est, cum putantes nos pugnare cum adversariis & diversum sentientibus, cum umbra pugnamus, aut cum hominibus idem, quod nos, sentientibus, qui aliis tantum verbis idem dicunt, alia methodo idem docent, alia via eodem tendunt. Zelus sine scientia est,

Yyy 3 cum

(a) addo *Zwinglianos, Calvinianos, Sacramentarios.*

cum magno fervore disputamus de rebus prorsus incertis, neque a sana ratione, neque a Verbo Dei clare uspiam decisis, nobisque idcirco & adversariis nostris pariter ignotis, imo utriusque partis captum superantibus; ubi tutissimum & consultissimum foret *επιέχειν* & assensionem ab utraque parte sustinere, saltem de rebus tam incertis nihil velut indubium definire. Zelus sine scientia est, quoties præjudicia, affectus, partiumque studium intellectum ita obnubilant, ut ne quidem adversarii mentem recte intelligere, nedam illius argumenta, ut par erat, examinare & ponderare possimus: quod ubi fit, non mirum est, si idem nobis, quod ipsi quondam Paulo Apostolo, accidit, (*Gal. I. 14.*) ut *ωπισσοπέρας ζηλωταί υπέρχοντες των πατρικων ωδιδάσεων*, veritatem oppugnemus, existimantes nos oppugnare mendacium, veræque Religioni bellum indicamus, credentes, rem nobis esse cum hæresi aut superstitione.

Zelus cæcus & sine scientia est, cum fervor noster causæ, de qua agitur, controversæq; momento non est proportionatus, cumque non minus vociferamur, non minus paratragædiamur, quando agitur de *sceno* & *stipula*, quam cum in discrimen adducitur fundamentum salutis. Quam quidem in partem peccare solent, tum omnes, qui ob iudicii imbecillitatem momenta rerum ponderare nequeunt, tum illi in primis, qui veram & genui-

quoniam Christianæ Religionis naturam &
 quod in ea maxime excellens & divinum est,
 non solide & intime cognoscunt. Non mi-
 rum est, si tales nesciunt distinguere inter er-
 rorem, qui fidem & pietatem destruit & ex
 corde cujuslibet illo imbuti expellit; & erro-
 rem, cum quo vera in Christum fides & Chri-
 stiana pietas optime possunt consistere. Enim
 vero quotquot sunt, qui corticem Christia-
 nismi ab ejus nucleo discernere nesciunt; pro
 cortice, cui plerumque unice adhærent, usque
 & usque digladiari & sicubi in illo vel tantil-
 lum mutatur, miros statim clamores & ejula-
 tus edere solent. Quam in classem & illi refe-
 rendi sunt, qui de errorum momento non ju-
 dicant ex ipsis fontibus & ex limpido Verbo
 Dei, sed ex rivulis, in quibus semper aliquid
 impuri est & humani. Ex quo numero præ-
 cipue illi sunt, qui systema, quo sunt imbuti,
 considerant, tanquam unicam fidei regulam;
 unde prout quidque ad integritatem aut sym-
 metriam sui systematis magis aut minus arbi-
 trantur necessarium, ita illud magis aut minus
 fundamentale & momentosum, non sine su-
 percilio pronunciant. Zelus denique sine
 scientia observatur in omnibus iis, quorum
 scientia arctis admodum limitibus est circum-
 scripta: Qui cum hospites sint in plerisque ve-
 terum & recentiorum Theologorum scriptis,
 nihil propemodum cognoscunt, nisi quod in
 suis compendiis legerunt, aut in lectionibus

& collegiis præceptorum audiverunt. Unde fit, ut multa sive ab hodiernis Theologis, sive a priscis Patribus, præcipuisque adeo Ecclesiæ Christianæ luminibus, credita & probata, nova talibus hominibus, insolita, inaudita, dura, sæpe etiam hæretica & impia videantur. Qua quidem in re illis idem contingit, quod hominibus, e patria aut ex civitatis suæ pomœriis nunquam egressis, quibus, cum de quibuslibet rebus ex patriæ suæ institutis & moribus judicent, accidit, ut quæcunque ab his moribus aliqua ex parte abluant, absona & præpostera, imo sæpe insana & ridicula videantur.

II. *Secundum*, quod in Theologi zelo poscimus & quod sane omnium est præcipuum, hoc est, ut iste zelus vere sit *Zelus Dei*, ζῆλος Θεοῦ, (Rom. X. 2. 2. Cor. XI. 2.) vel, ut alibi vocatur, ζῆλος οἴκου τοῦ Θεοῦ, *Zelus Domus Dei*, (Job. II. 17.) i. e. ut unicus hujus zeli scopus sit gloria Dei; fons vero ejus & principium amor Dei & amor quidem fervidus. Hoc amore si quis vere flagrat, huic nihil magis cordi est, quam id omne, quod Deum, dilectum illum suum, quoquo modo spectat; talisque zelotæ, ut quotidianis suis precibus testatur, desiderium ardentissimum semper est, ut *Nomen Dei* ubique sanctificetur, *Regnum ejus* stabiliatur & propagetur, *voluntati*que ipsius omnia in terra non minus quam in cælo sint subdita. Hoc zelo accensus Theologus non potest, quin vehementer

ter aversetur omnia dogmata & placita, non dico blasphema, sed Deo suo quoquo modo contumeliosa, ejusque honori & gloriae quicquam detrahentia. Unde non modo solícite cavet, ne quid sibi ipsi unquam Deo indignum excidat, aut in mentem veniat; sed, quæ hujus sunt generis, ex animis aliorum quoque hominum evellere, & si modo posset, ex toto orbe exterminare, summo animi ardore studet.

Talem in Theologo zelum laudo & admirror, hunc inter virtutes plane heroicas numero, nihilque illo præclarior, nihil excellenti Theologo dignius concipio. Sed externæ speciei fronti & verbis hic non semper fidendum: Facilis enim hac in re est deceptio, quandoquidem zeli genuini & divini sæpe nomen assumit speciemque mentitur zelus spurcius, non ex amore Dei, sed ex philautia & perverso sui ipsius amore originem ducens. Talis v. g. zelus est in iis, qui, cum videri velint pro Deo ejusque gloria unice dimicare, magno illo, quem monstrant, ardore pugnant pro potentia & auctoritate sua, cum certa credendi loquendique regula, aut cum certis ritibus & cerimoniis arctissime connexa; pro opibus & pinguibus redditibus, honoribus & dignitatibus, certis sæpe opinionibus & placitis alligatis; pro fama & existimatione sua, quæ a certæ doctrinæ professione & defensione non raro dependet, interdum

etiam pro deliciis variisque vitæ commoditatibus. quas in communione & secta, cui sunt addicti, uberiores, quam alibi, inveniunt.

Sed, ne credas, in his tantum se monstrare philautiam nostram; alias habet propagines, subtiliores & non perinde in vulgi oculos incurrentes. Philautia enim est, pura puta philautia, omnis amor partium nostrarum, amor sectæ, collegii, ordinis nostri; amor patrum, majorum & præceptorum nostrorum; amor patriæ & gentis nostræ, amor cogitationum, inventionum, omniumque adeo opinionum nostrarum; amor scientiæ nostræ, non parvo sæpe labore partæ; amor scriptorum nostrorum & famæ inde acquisitæ: Philautia denique est omne studium inclarescendi & placendi discipulis, doctis, posteris, populo, potentibus, quæ omnia sæpe in Theologis non minus, quam in aliis eruditis, conspiciuntur. Horum aliquid cum in nobis zelum & zelum quidem præfervidum excitat, non amor Dei, sed philautia zeli principium est, ac proinde zelus noster non est zelus Dei, sed zelus humanus, terrenus; ne quid de eo gravius dicam. Hunc ignem cum sanctuario inferimus, non ignem de cælo accensum huic inferimus, sed ignem peregrinum, ignem ab humano & plerumque vitioso affectu suscitatum.

At enim cum zelotæ omnes sine discrimine usque & usque clament, zelum suum purum & Deum, nil nisi Deum, ejusque gloriam si-

bicordi esse; quomodo, inquiet aliquis, is, qui vere de se hoc affirmat, ab illo, qui id falso jactat, dignosci poterit; siquidem nobis datum non sit corda & animos hominum introspicere. Sed animadverti hoc sæpe potest & satis clarè animadverti & ab iis, qui καρδιογνώσαι minime sunt. Zelum tuum gloriaris verum esse zelum Dei & ex fervido Dei amore proficisci: Sed dic mihi, num amor iste Dei, quo te usque adeo accensum esse dicis, alios quoque in te habet effectus, præter fervidum illum zelum adversus certa dogmata & adversus certas opiniones? Verus sane amor Dei, ubicunque est, ibi non tantum zelum orthodoxiæ excitat, sed longe plures, & si verum est dicendum, longe excellentiores fructus profert: Extinguit v. g. in homine amorem mundi, amorem gloriæ & honorum, amorem divitiarum, amorem voluptatum & commoditatum hujus vitæ, imo est principium & fons omnium virtutum Christianarum. *Qui enim Deum amat, mandata ejus, omnia mandata, observat.* An igitur & reliquæ virtutes, ex amore Dei necessario promanantes, non minus imo multo magis Deo gratæ, non minus in te conspicuæ sunt atque conspicuus est ardens ille zelus contra opiniones novas & receptis contrarias? Quod si illud in te non perinde laudari potest, da veniam, quando suspicor, zelum tuum non ex amore Dei, sed ex alio fonte provenire.

Dein-

Deinde, si vero Dei zelo ardes, non solæ *opinionēs* perversæ, Deoque, ut putas, contumeliosæ erunt, quas averfaberis; sed averfaberis multo magis *malas actiones*, peccata, crimina, scelera, quæ certe Deus ipse magis, quam erroneas opinionēs, minus, quam crimina voluntaria, averfatur. Tali zelo accensus identidem dices cum divino Psalte: *Rivi aquarum descendunt ex oculis meis, propter eos, qui non observant legem tuam. Conficit me zelus meus, quod homines obliviscuntur verbi tui; simul ac video perfide agentes (non ait; perperam credentes) fastidio, me ipsum torqueo, quod sermonem tuum non observent.* Si hunc Davidis zelum ipso opere monstras, non tantum in suggestu, sed publice & privatim, ubicunque es, in exercitio disciplinæ, in quibuslibet tuis admonitionibus, exhortationibus, correctionibus, increpationibus; Si in his zelus ille tuus nunquam deficit aut defatigatur, sed si usque & usque *instas, tempestive, intempestive, arguis, objurgas, hortaris, cum omni longanimitate & doctrina*; si ita agere nunquam desinis, agnosco in te genuinum Dei zelum. Quando vero hæc aut negligens, aut remissa & segniter peragens, omnem animi fervorem impendis redarguendis hæreticis & heterodoxis, patere, ut de zeli tui sinceritate adhuc dum iudicium meum suspendam.

Denique quod ad ipsas quoque pravās opinionēs attinet, si illas averfaris ex vero Dei

zelo, quaslibet magis aut minus averfaberis, prout quæque magis aut minus Deo sunt contumeliosæ & prout quasque Deus ipse magis aut minus averfatur. Non tum maxime animus tuus exardescet sicubi audis, esse homines, qui audeant discedere ab iis, quæ olim magna cura didicisti, aut quæ aliquandiu cum plausu docuisti & quæ non contemni & nihili fieri, magnopere tua interest: Sed tum potissimum pectus tuum effervesceat, cum audis, fidem, fidem omnibus veris Christianis communem, in cordibus plerorumque, qui hoc sibi nomen tribuunt, esse extinctam; fructus ejus, fructus necessario cum fide connexos, nusquam comparere, refrixisse penitus charitatem: cum audis, non opiniones tuas, a quibus sæpe & veri Christiani recesserunt, parvi fieri, sed ipsa sanctissimæ nostræ Religionis fundamenta concuti, invalescere incredulitatem & atheismum, in dubium vocari Dei providentiam, animæ immortalitatem, resurrectionem mortuorum, ultimum judicium, cælum denique & infernum: cum audis, spargi hinc inde opiniones impias; Deo Patri tuo vere contumeliosas, aut in Dominum Jesum Christum, charissimum servatorem tuum, aperte injurias. Hæc, si zelo Dei ardes, intolerabilia tibi videbuntur; hæc cor tuum accendent; hæc te angent & cruciabunt; hæc interdum lacrymas & gemitus tibi expriment: His malis ante alia omnia occur-

currendum statues: Ad hæc extirpanda ut omnes Theologi, imo omnes Christiani, quidquid habent virium, conjungant, optabitis. Tali vero zelo flagranti, tali zelo pleno, parvum, valde parvum incommodum videtur, si quos esse videt, qui in rebus, semper inter Christianos controversis, non exacte ad perscriptam a Patribus formulam, sentire aut docere possunt: Sed hoc, hoc pectori illius longe tristius, longe flebilius videtur, quod tantopere crescit eorum numerus, qui ne quidem fidem habent Symbolo omnibus Christianis communi, Symbolo Apostolorum; quique non solum tota sua vita sed sæpe etiam verbis dictisque profanis monstrant, se ne unicum quidem hujus Symboli articulum vere & ex animo credere.

En quid servator tuus judicet de iis, qui in rebus parvi momenti magnum ostendentes zelum, in aliis longe majoris ponderis remissi, tepidi imo frigidi sunt: (*Matth. XXIII. 23. 24.*) *Væ vobis, inquit, Scribæ & Pharisei, hypocrite, qui decimatis mentham & anethum & cuminum & omittitis, quæ graviora sunt legis, judicium & misericordiam ac fidem: hæc oportuit facere & illa non omittere. Duces cæci qui percolatis culicem, camelum autem deglutitis.*

III. Sed & tertio loco, ut zelus Theologi Deo gratus sit, requirimus, ut sit conjunctus cum *charitate & sincero amore proximi.* Quo

nōmine non tantum intelligimus fratres recte sentientes, contra noxios errores probe muniendos, sed ipsos etiam errantes, licet gravissime errantes. Cum sincero talium quoque hominum amore nisi zelus tuus conjunctus sit, non est, crede mihi, non est zelus ex amore Dei proveniens. Ubi enim est amor Dei, ibi quoque est amor proximi. Si quis dixerit, ait Johannes, diligo Deum (zelum Dei habeo) & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. (1. Job. II. 20. 21.) Non igitur Dei zelus est, quem Apostolus Jacobus appellat (Jac. III. 14. & 16.) ζῆλον πικρὸν, zelum amarum & acerbum; quem idem & Paulus conjungit cum θυμῷ, ἐριθείᾳ & διχομασίᾳ, (1. Cor. III. 3. Gal. V. 20.) Non Dei zelus est, in quo longe magis cernuntur effectus & fructus odii, iræ & invidiæ, quam effectus charitatis. Non est zelus Dei, qui potius contendit sibi adversantes omnibus invisos & odiosos reddere, doctos & indoctos, summos pariter & imos adversus illos concitare, quam errantes convincere & convertere. Non est zelus Dei, qui nihil fere aliud producit, nisi pravas suspiciones, temeraria judicia, rixas, maledicta, calumnias, anathematismos; interdum & graves injurias, sævitiam, crudelitatem, persecutiones, bella & alia similia.

Me-

Memorabilia sunt hanc in rem Jacobi Apostoli verba : (Nam de discrimine zeli dici potest , quod de discrimine Sapientiae asserit :) *Quod si, inquit, zelum amarum habetis & irritationem in corde vestro, ne gloriamini, & ne mendaces estote adversus veritatem. Non enim ista Sapientia (iste zelus) superne descendens, sed sapientia terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus est & rixa, ibi inquieta vita & omne opus primum. Quae autem superne est Sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, aequa, obsequens, plena misericordiae & fructuum bonorum, absque disceptatione & minime simulata. (Jac. 3, 14, 17.)* Hunc locum zelotae, quotquot sunt, iterum iterumque legere debent, ut videant, sitne zelus suus superne descendens; an potius, ut Jacobus loquitur, terrenus, animalis, imo *δαίμωνιος*.

At non modo zelus Dei semper conjunctus est cum amore proximi, sed plerumque hinc originem ducit, hujusque amoris est effectus. Quisquis enim proximum sincere amat, non potest, quin doleat, quoties fratrem suum graviter errare videt, & propter hunc errorem esse in periculo aeternae salutis; Unde non potest non oriri ardens studium, fratrem ex tam atroci periculo, quantum in se est, liberandi, huncque in finem periculosum illi errorem, si fieri queat, adimendi. In hoc dolore, in hac commiseratione, ortoque inde studio propriè consistit verus pius
Theo-

Theologi zelus. At sane in quocunque talis zelus est, is non tantum proximi commiseratione tangitur, cum illum imbutum cernit pravis & periculosis opinionibus: sed longe impensius dolet, longe magis proximi miseretur, cum videt, illum multis magnisque peccatis & vitiis esse deditum, manifeste esse in statu mortis & damnationis. Nusquam enim Scriptura S. tam clare, tam diserte è regno cœlorum excludit hos aut illos Novatores, hos aut illos Heterodoxos, hos aut illos Hæreticos, quantumlibet odiosis insigniantur nominibus, quam illos, in quibus regnant certa peccata & vitia; quibus utinam non aliquando dediti essent, qui sibi culmina Orthodoxiæ esse videntur!

IV. Quarto loco poscimus, ut zelus Theologi nostri conjunctus semper sit cum *equitate* & *justitia*, i. e. ut genuino flagrans zelo, scopum suum usque assequi studeat mediis justis, æquis & legitimis. Scopus zelotæ, ut præ se fert, est conservatio & propagatio sanæ doctrinæ, extirpatio errorum & hæresum. Quando Theologus non modo hunc scopum habet, scopum oppido bonum & laudabilem, sed præterea hunc sibi propositum scopum consequi nititur mediis licitis, honestis, æquis & justis, tum demum zelus ejus bonus & zelus Dei dici potest, sin media sunt inhonesta, illicita, injusta & iniqua, quantumcunque scopus bonus sit, zelus pravus & vitiosus.

sus est. Absurdum enim est, gloriam Dei iis
 mediis promovere velle, quæ Deus prohi-
 buit, quibusque offenditur & contumelia af-
 ficitur. Quod sane hoc in negotio monere,
 imò etiam atque etiam inculcare perquam est
 necessarium. In omnibus enim Christianorum
 sectis, utcunque verbis condemnetur, ipsa
 tamen praxi probari videtur perniciosum il-
 lud Scholæ *Lojolitica* dogma; *bonam intentio-*
nem, qualis sine dubio est intentio extirpan-
 di hæreses, *ad actionis bonitatem sufficere*, omnia-
 que media licita esse, dummodo ad hunc
 scopum obtinendum sint efficacia. Licitum
 v. g. esse, adversarium, quam fieri potest,
 odiosissimum reddere, ad hoc obtinendum
 omnes ejus errores in majus extollere, omnia
 ejus dicta in pessimum sensum detorquere,
 gravissima & teterrima quæque de illo su-
 spicari, imputare illi errores & hæreses, quas
 non modo non agnoscit, sed quas se detestari
 ait & sæpe ipso opere monstrat: discipulis
 inde à teneris, certorum adversariorum odi-
 um & horrorem instillare; populum & po-
 tentes adversus illos concitare & gravissime
 irritare; non parcere hæc in re dolis, malis
 artibus & piis, si Diis placet, fraudibus; ubi vul-
 pina nihil proficitur, leoninam tandem indue-
 re pellem & salutarem severitatem, i. e. ad sævi-
 tiam & crudelitatem confugere, religionem jam
 non argumentis amplius persuadere, sed con-
 scientiis, si quidem fieri possit, vim inferre,
 cre-

credendaque non minus, quam facienda mi-
nis & poenis propositis imperare. Hæc &
alia licita esse, multi putant, quia illa sola
credunt efficacia esse ad errorum & hæresi-
um extirpationem; zelum bonum non mo-
do ista excusare putant, sed etiam, quæ ipsa
per se valde essent inhonesta & iniqua, lau-
dabilia, pia & sancta reddere.

Fateor, dicet hic aliquis, ad extinguen-
dos errores & hæreses incipiendum semper
esse à remediis æquitati, charitati & spiritui
Evangelico maxime consentaneis; sed quid
tandem faciendum, inquiet, quando vide-
mus, his parum aut nihil profici, imo quan-
do hæc prorsus inefficacia esse, ipsa expe-
rientia deprehendimus; an non tum necessi-
tas suadet, ut ad alia remedia progrediamur,
etiam talia, quæ alias dura & iniqua cense-
rentur, imo turpia & inhonesta & quia ne-
cessitas illa suadet, imo postulat, annon & ta-
lia in isto necessitatis casu licita & legitima fi-
unt? Ita sane bene multi aut ratiocinantur,
aut saltem ratiocinari videntur; quos qui-
dem ego comparo ægrotis vehementer idque
cito convalescere cupientibus: Et hi enim u-
tuntur primo omnibus remediis licitis, ad mor-
bum sibi gravem quam citissime pellendum,
sed quando denique vident, hæc remedia,
quod cupiunt, non efficere, licitis variis fru-
stra tentatis, recurrunt ad remedia magica &
sortilegia; ab his valetudinis promptam re-

stitutionem sperantes, quam ab illis obtinere non potuerant. Hos si propterea reprehendis, eodem prorsus modo ratiocinantur, ac zelotæ, de quibus modo diximus: satis se diu, inquit, usos remediis licitis, iisque omnis generis, ab optimis Medicis sibi præscriptis; sed cum hæc omnia inefficacia invenerint, ad magica tandem se recurrisse non sponte, sed necessitate coactos; hanc necessitatem, quod alias prohibitum fuisset, licitum reddidisse. Sed quemadmodum his hominibus recte respondetur, satius esse, morbum quantumlibet molestum & dolorificum, diutius tolerare, quam ad eum pellendum uti remediis à Deo prohibitis: ita sane & hic respondendum est, satius esse, tolerare errores, quantumlibet graves, quam ad illos extirpandos, remediis illegitimis Deoque minime placentibus uti: cum nunquam & in nullo necessitatis casu *mala facienda sint, ut bona inde eveniant.* Quando Deo nondum lubet, benedicere remediis licitis & à se aut præscriptis aut permissis, ita ut malum aliquod noxium per illa tollatur, manifestum hoc est indicium, Deum nondum velle, ut malum istud tollatur & à nobis auferatur; cui divinæ voluntati nostram animo humili submittere debemus & ex impatientia ad alia remedia, quæ Deus prohibuit, nunquam progredi.

V. Hoc vero ipsum ansam mihi dat, ut
quinto

quinto & ultimo loco à Theologo requiram, ut zelus ejus semper longanimis & patiens sit. Quod quidem diserte poscit Apostolus Paulus, quando vult, (II. Tim. II. 24. 26.) ut servus Domini sit ἀνεξίκακος, tolerans malos aut mala (inter quæ minime sane voluntaria sunt errores) utque cum lenitate erudiat eos, qui contrario animo sunt affecti, experturus, num aliquando daturus sit iis Deus resipiscentiam ad agnitionem veritatis & sanitate mentis recepta, evasuri sint ex laqueo Diaboli, ab eo captivi facti ad libitum. Idem Apostolus, in eo ipso loco, ubi à Timotheo suo quam maxime exigit debitum in officio zelum & fervorem, vult tamen, ut hunc zelum semper exercent ἐν μακροθυμίᾳ in longanimitate & patientia. Quod pariter omnibus zelotis magnopere inculcandum est: zelus enim bonus, (quia, ut omnes homines sumus, huic plerumque affectus humanus sese admiscet,) sæpe viros, etiam cætera optimos, valde inquietos & impatientes reddit; ut quando media, quæ ad errantes convincendos & convertendos adhibent, non statim ex voto succedunt, rem simul & spem aut omnino abjiciant, aut protinus ad media dura & spiritui Evangelico charitativæ Christianæ non satis consentanea, progrediantur. Qualis quidem impatientia non superne venit & à Dei spiritu, sed à depravata carne, quæ cum semper sua & non, quæ Dei sunt, quæ-

rat, illico turbatur & irritatur, quoties id quod vehementer quærit, non statim obtinet.

Provenit quoque hæc impatientia à defectu fiducia in Deum, quam confestim abjicimus, cum Deus legitimis atque à se ipso in Verbo suo præscriptis mediis non ad libitum nostrum benedicit; tametsi hujus rei semper sapientissimas pariter & sanctissimas habeat rationes, inter quas vel illa præcipua est, quod hoc ipso nobis monstrare vult, cordis humani conversionem suam, non nostrum, opus esse: faciendum in hoc negotio, quicquid Deus jussit, successum & eventum huic in solidum relinquendum & ab ipso humili patientia expectandum esse.

Præcipua vero hujus impatientiæ causa plerumque est superbia. Homo enim superbus alterius dissensum, quem sui contemptum esse putat, non diu ferre potest; graviterque imprimis irritatur, quando sibi adversantes fortissimis, ut putat, suis rationibus & argumentis, suis admonitionibus & hortationibus, suis precibus & blanditiis, (sicubi, quod ægerrime facit, se eo usque demittit, ut & his utatur,) quando, inquam, adversarii his non statim cedunt & succumbunt. Uno verbo superbia est, quæ plerumque zelum nostrum obnubilat & excoecat, quæ illum acerbum, injustum, amarum, impatientem & ex tali impatientia durum primo & inhumanum & tandem violentum, sævum & crudelium

lem reddit. Quare perquam utile omnibus zelotis foret, si Zelo suo ante omnia adversus se ipsos uterentur, adversus suos proprios defectus, tum intellectus, tum voluntatis, adversus sua peccata & vitia; sique in his exacte detegendis, agnoscendis, deplorandis magnam fervidi illius, quo ardent, zeli partem consumerent. Hoc zelo adversus se ipsos sæpe accensi, Christianam tandem acquirerent humilitatem, quæ virtus zelum adversus alios, imprimis adversus errantes, valde temperat: Ubi enim vera humilitas est, ibi sui cuique defectus, sua cuique vitia & peccata, longe majora, longe intolerabiliora mala videntur, quam vel gravissimi aliorum errores, nedum errores, qui veram in Christum fidem sinceramque pietatem in nullius corde extinguere, neminemque adeo ab æterna salute arcere & excludere valent.

Possent, ut videtis, de hac materia, minime sane sterili, multo plura dicere, si tempus & æstus & promissa vobis brevitatis, id permitterent: sed horum omnium memor pedem hic figere, & filum abrumpere cogor.

Inspiret, quæsumus, Dominus noster JESUS CHRISTUS, quo nemo unquam zelum pro gloria PATRIS sui cælestis animarumque salute & puriorem & fervidiorem habuit; inspiret, inquam, omnibus servis suis, quibus sive in Ecclesiis, sive in Scholis utitur, zelum suo quodammodo similem, zelum de-

pravatis his & exulceratis temporibus summe
 necessarium, zelum vere sanctum & divi-
 num, perpetuo cum scientia & vere Christia-
 na prudentia, cum sincera charitate, cum
 incorrupta justitia & æquitate, cum patientia,
 mansuetudine & humilitate conjunctum!
 Accendat inprimis in nostris omnium cordi-
 bus ferventem Dei amorem, ut ad exem-
 plum supremi hujus Doctoris & Pastoris,
 omnes, quotquot sumus, zelo domus ejus ve-
 re ardamus, zelumque hunc nostrum jun-
 ctis & ob leves & minutas quæstiunculas mi-
 nime divisis animis, impendamus, non scis-
 sionibus & vulneribus Ecclesiæ confirmandis
 & multiplicandis, sed his potius minuendis
 & consolidandis! Interea vero nos ad unum
 omnes mascule opponamus Indies ubique ma-
 gis ingruenti incredulitati & impietati, opini-
 onibusque non tam certis hominibus, quam
 ipsi Deo & Servatori nostro maxime invisis &
 odiosis; strenue inprimis pugnare nunquam
 cessemus cum vitiis & criminibus palam gras-
 santibus & Ecclesiis, ubi aut tolerantur, aut
 nimis frigide & tepide eradicantur, terribilia
 Dei judicia, impœnitentibus vero æternum
 exitium attrahentibus.

Eos vero omnes, qui in hunc usque diem
 mirum quantum aestuant, zelo humano tan-
 tum & terreno, sæpe cœco prorsus, iniquo
 & perverso, illuminet Deus Spiritu suo, ut
 tandem aliquando videant, cujus generis huc-

usque fuerit fervor ille suus, cui tantopere hibenas laxarunt; ex quo fonte manaverit, quam acerbos & amaros fructus produxerit, quantumque malorum Ecclesiæ attulerit & inosterum allaturus sit, si talis, qualis adhuc fuit, usque permanserit, nec *Sauli* zelus efficaci tandem Dei gratia in *Pauli* zelum conversus fuerit.

Aperiat Dominus JESUS & oculos eorum, quos ad gubernacula rerum publicarum posuit, quibusque populum suum regendum commisit, ut zelum vere divinum a zelo terreo & spurio probe dignoscentes ab iis se ulterius non decipi & abripi patiantur, qui, quicquid denique prætexant, non tam quæ Christi, quam quæ sua sunt, quærunt & non tan de gloria Dei promovenda, quam de potentia & auctoritate, de commodis, de honor, fama & existimatione sua conservanda, stabilienda & augenda, præcipue solliciti sunt.

Uicuique tandem nostrum hanc faciat gratiam Dominus, ut opus quisque sibi commissum non segniter faciamus, sed debita cum animi contentione & fervore, inprimis vero zelum quisque suum monstremus in difficili illa pugna, omnibus Christianis incumbente, i. e. in carne, mundo & Satana fortiter & feliciter debellandis: donec demum in altera & meliori vita, zelo ab omnibus hujus mundi scorie & sordibus penitus purgato & defæca-

to, zelo plane angelico & seraphico accensi,
 non alio amplius igne, quam fervido amore
 Patris, Filii & Spiritus Sancti in sæcula
 sæculorum flagremus & ardeamus;
 Amen!



VI.

Episcopi *Londinensis* (a) &
 ELISABETHAE Reginae pro Bel-
 gis religionis causa exulibus ad
Francofurtenses & Dantiscanos
 Epistolae (b)

A.

Gratiam & pacem in Christo. Ro-
 garunt me fratres Flandrenses, qui
 Religionis nomine hic apud nos
 exulant, ut & Gottfridum *Winiium*,
 qui istas deserit, & Ecclesiam
 Flan-

(a) Fuit hic Edmundus *Grindallus*, vir doctrina &
 sanctitate praestantissimus, inde ab Anno 1519. Epi-
 scopus Londinensis, ad a. 1570. in quo Archiepi-
 scopus Eboracensis constitutus, id munus admini-
 stravit ad annum usque 1576. quo Cantuariam dela-
 tus est, ibique Archi-Praesulis & primatis Regni di-
 gnitatem sustinuit ad Cal. aug. a. 1583. aetatis LXIII.
 quo die diem extremum clausit Corindoni. Vide
 de

Flandricam, quæ in urbe vestra collecta est, quæque jam aliquot annos benignissime apud vos hospitium invenit vestræ Amplitudini commendarem. Ego vero, Clarissimi atque am-

de eo plura apud *Camdenum* in Ann. Angl. p. 368. Fr. *Godvvinum* de Præsulibus Angl. p. 221. Accuratis-
sime autem vitæ ejus historiam consignavit, & ab impudentissimorum obtrectatorum calumniis vindicatum ivit Johannes STRYPE, A. M. in the *bi-
story of the life and acts of Egmund GRINDAL, &c.* Londini 1710. in forma majori edita, cujus com-
pendium accurate, ut solet, exhibetur in *Actis* Erud. Lips. Suppl. T. V. sect. 7. p. 294. T. d. H.

(b) Has ad me amicus Londino misit, monuitque du-
plex ibi adservari harum literarum exemplum, quo-
rum alteri hæc adscripta fuere ; „ Petrus Dathæ-
„ nus, Ministris ecclesie Flandricæ agentibus
„ Francofurti ad Mœnum S. D. Pl. Quandoqui-
„ dem optimus ille noster episcopus Londinensis
„ non solum ad vestrum isthic senatum literas misit,
„ sed earundem etiam exemplar scribi procuravit
„ mihi que exhibendum, non inconsultum putavi
„ hujus vobis copiam facere propria verbotim ma-
„ nu exaratam secretissime servandam, nisi necessitas
„ aliud suadeat. Deus O. M. suo vos spiritu regere &
„ consolari dignetur Amen. *In fine hoc invenitur.*
Ego Petrus Dathænus Flandricæ Ecclesie Minister
„ hac subscriptione mea omnibus testatum facio hanc
„ Reverendissimi Londinensis Episcopi Epistolam se-
„ natui Francofurtano esse traditam 17. Decembr.
„ 1561. qua integritati Optimi & Doctissimi Viri
Godfridi Wingii, ad ejusdem Ecclesie ministerii
„ vœati testimonium perhibet.

Petrus DATHÆNUS,
manu propria.

amplissimi Viri, hanc scribendi occasionem libenter arripui, non solum ut illis gratificarer. Verum etiam, ut meo atque adeo omnium Anglorum exulum nomine, vestrae amplitudini pro vestra summa erga nos afflicti-
 ctissimis nostris temporibus benignitate ac pietate, gratias agerem. Nulla unquam dies hoc vestrum beneficium Anglorum animis eximet. Argentinensi, Tigurinæ, Basiliensi, Wormaciensi, sed ante omnes vestris inclytis rebus publicis debet Anglia, quod tot habeat Episcopos, cæterosque verbi divini ministros, qui hodie puram Evangelii doctrinam annunciant. Vos illos hospitio excepistis, exceptos summa humanitate amplexi, atque auctoritate tutati estis. Nisi igitur istam vestram pietatem gratis animis agnosceremus & prædicaremus, essemus omnium mortalium ingrati-
 ssimi. De Gottfrido Wingio hoc habeo quod scribam, hominem esse doctum, pium, ingenio moderato ac pacifico, qui que diu in Flandria sub cruce & quasi perpetuo animam in manibus habens Christi Evangelium prædicavit, quo nomine non dubito, quin vestrae pietati erit acceptissimus. Oro etiam idque in visceribus Christi, ut Flandrensis Ecclesiae jam integrum septennium apud vos agentis, nunc vero de ejectione nonnihil sollicitæ, tutelam & patrocinium perpetuetis. Valeat in illos charitas vestra. Nihil enim vel apud hominem gloriosius vel apud Deum
 ac-

acceptius facere potestis, quam si tot membra Christi in pristino suo hospicio retineatis. Quumque fortassis in uno articulo, jam per multos annos, inter doctissimos alioqui viros, controverso, cum quibusdam per omnia non consentiant, tamen si ecclesiarum vestrarum pacem non perturbent, quod spero eos neque fecisse hactenus, neque postea facturos, grandi estis, ne ad extrema remedia descendatis, sed potius, ut Christiana lenitate & mansuetudine in suo sensu ipsos toleretis. Christi Domini praesentiam in sua sacra coena eamque veram & salvificam omnes fatemur, de modo tantum est disputatio. Nos in nostris Ecclesiis quamquam eandem cum Flandrensibus istis doctrinam & apud vos professi sumus, & etiamnum hic profiteamur, nunquam tamen aliquem, qui cum Lutero sentiret, si pacifice se gereret, pro haeretico, aut nephario homine prosequuti fuimus. Utinam conditionibus etiam Marpurgensi colloquio conclusis statum fuisset, ut pacem utraque pars coleret, donec utrisque Dominus aliud revelaret. Sed praeterita facilius deseri possunt, quam corrigi. Si vos fratres istos ejeceritis necesse est in Anti-Christi carnificum manus eos incidere; quo enim miseri fugient? In Germania a vobis ejecti nusquam recipientur, in Gallia nondum sunt res constitutae. Si ad nos penetrare vellent, ubi obviis ulnis reciperentur, in media via tantam multitudinem

in-

intercipi necesse est. Nuper enim aliquot Fratres Ecclesiae nostrae Londino germanicae in Flandriam, quam poterant, occulte atque pacifice profecti, deprehensi sunt atque incendio abumpti. Reputate animis vestris, Clarissimi atque pientissimi Viri, quam triste esset spectaculum, tot Ch isti membra, omnium aetatum ac sexuum simul uno incendio confl grantia conspicere. Tale autem aliquid futurum sine dubio existimare poteritis, si illos portis vestris excluderitis. Sed hoc quam longissime a vestra pietate abfuturum certissime mihi persuadeo. Iterum igitur ad preces conversus oro vestram pietatem, quam possum demississime, ut quorum patrocinium & tutelam tam diu benignissime suscepistis, quosque & misera & crudeli Antichristi tyrannide salvos & incolumes Dei Opt. M. beneficio conservastis, tantaque cum clementia & humanitate hactenus fovistis, pro vestro in Christum ejusque religionem sincero studio retineatis, ac hospitio dignos, licet non propter se, propter eundem tamen Christum ducatis. Quo fiet, ut non solum veritatis Evangelicae, in gentem Flandricam propagandae, authores futuri sitis, & gloriae Christi singulararem in ea parte operam navaturi, verum etiam cum in hoc saeculo benedictionem Domini, quam amplissimam omni bonorum genere locupletati pietas enim teste D. Paulo etiam praesentis vitae promissionem habet) expe-

periamini, tum in futuro a Christo Domino hospites, ut qui eum collegistis, & hospitio excepistis, agnoscamini. Hæc in Flandricæ gentis, quæ apud vos exulat, gratiam Evangelii propagandi studio ad vos Clarissimi Viri, pietate vestra fretus, scribere sustinui, non dubitans, quin pro vestra in Christi afflicta membra humanitate & clementia, benignitatem vestram in ipsos largiter effusam sentient. Si qua vero in re ego vobis aut Reipublicæ vestræ, opera vel studio gratificari, aut usui esse potero, diligentiam promptamque in ea parte voluntatem, vobis ipsi de me polliceri poteritis. Deus amplitudinem vestram & Civitatis vestræ statum, quam florentissimum diutissime conservet. Londini die 12. Novemb. 1561.

B.

Honoratissimo Domino Thesaurario S.
R. M.

Supplices indicant Ministri & seniores Ecclesiæ Londino germanicæ, se nuper Dantisco a Fratibus e Belgio profugis literas accepisse, ex quibus intelligunt Ecclesiam ibidem peregrinantem non sine difficultate & periculo conventus suos & pietatis exercitia agere posse propter quosdam religioni infestos indigenas, qui peregrinos cœtus aliquoties turbare & seditionis accusari non du-
bi-

bitarunt. Quoniam autem dicti peregrini, qui liberum & apertum in vernaculo sermone Religionis exercitium requirunt, non facile ubi locum idoneum intra velextra urbem a Magistratu concessum iri sentiunt, nisi superioris alicujus præsertim vero Regis Poloniæ, illius civitatis protectoris intercesserit auctoritas, demisse rogant, ut ad alia in illud Regnum collata beneficia Sereniss. Reg. Majest. pro sua erga pios omnes & afflictos peregrinos benevolentia, apud ipsam Poloniæ R. Majestatem Belgicis quoque peregrinis, eam ad rem aliquid favoris conciliare clementer velit. Unde non solum obstringentur ut pro R. Majestatis diutina vita & prospera gubernatione preces assiduas apud Deum fundant, sed etiam ut se gratos præbentes fidelem huic Regno unitisque provinciis operam & officium præstent, in iis quæ de Hispanorum aut aliorum hostium conatibus & consiliis intellexerint, sedulo perscribendis.

Honoratissimæ vestræ dominationi
addicti Ministri & seniores Ec-
clesiæ Lond. germanicæ.

C. ELI-

C.

ELISABETHA Dei gratia Angliæ,
 Franciæ & Hiberniæ Regina, fidei
 defensor &c. serenissimo principi ac
 Domino SIGISMUNDO D. G. Regi
 Pol. Magno Duci Lithuanæ &c.
 Fratri & consanguineo nostro Cha-
 rissimo.

NON dubitamus, quin serenitas vestra & cœ-
 teri omnes Christiani Orbis principes bene
 intelligant, qualiter pertractæ fuerimus ad
 subveniendum statibus inferioris Germaniæ
 jam pene ab Hispanorum tyrannide oppressis,
 cum antea crebris nostris & in Hispaniam &
 ad Belgii Governatores legationibus & inter-
 cessionibus nullas æquas pacis condiciones
 poteramus illis procurare. Tria autem sunt,
 quæ nos maxime ad id faciendum permove-
 runt. Primum causa purioris Religionis quam
 ipsi nobiscum profitebantur. Deinde vetera
 cum vicina gente jura commerciorum & con-
 fœderationum. Ac demum multa & aperta
 indicia, quæ declararunt quasi subjugatos in
 nos & alios principes eandem Religionem
 profitentes, eosdem hostes arma sua conversu-
 ros, ut Monarchiæ, quam injuste affectant
 limites possent extendere. Sic evenit, ut
 multi earum regionum incolæ, in diversas
 provincias coacti sint commigrare, & inter

alias in nonnullas Prussiae civitates, quae serenitati vestrae sunt subjectae. In quibus multi nunc verentur, ne propter aliquam in quibusdam articulis Religionis discrepantiam non sint tali immunitate, ac Religionis Exercitio fruituri, quae convenire possit ipsorum linguis ac prioribus ritibus & quibus instituti haecenus fuerunt. Cum autem certiores facti simus, non esse illos Belgas, qui vel in Civitate Gedanensi, vel in aliis maritimis Prussiae urbibus inhabitant, ex eo hominum genere, qui quaerant legitimum Magistratum subvertere, & anarchiam introducere, vel aliquem haereticum aut impium errorem profiteantur, non potuimus, quin pro nostra erga totam nationem affectione eos Serenitati vestrae commendaremus. Rogantes Serenitatem Vestram, ut cum Regium plane sit bene mereri de iis, qui propter ejusmodi honestas causas exules sint: Serenitas vestra velit pro sua auctoritate intercedere cum Magistratibus Dantiscanis & aliis si opus fuerit, ut qui isthuc ex Belgio commigrarunt, apud eos possint absque ulla difficultate aut periculo ejusmodi coetus Reformatae Religionis continuare, prout in patria consueverunt atque iis aliquamdiu in illis urbibus fuit indultum, neque patiatur ullam injuriam iis inferri, quamdiu se honeste ibidem gesserint. Nam propter nonnullorum malevolentiam peregrinos exigere & jura hospitalitatis ipsis denegare,

ne-

neque Serenitati vestrae, neque ipsis urbibus poterit esse vel utile vel honorificum. Proinde subnixae a serenitate vestra petimus, ut illud beneficium in eos velit nostra de causa conferre, quod nos pro summa benevolentia a V. serenitate acceptabimus, & erga eos, qui a serenitate V. nobis commendabuntur vicissim rependemus, ubi occasio aliqua se obtulerit, sicque serenitati Vestrae ac suo Regno precamur a Deo Optimo Maximo omnia felicissima. Ex Regia Nostra *Grenovici* 16. April. 1591.

D.

S. in Christo.

Mitto Exemplar supplicationis cujusdam ad me missae per quosdam (uti apparet) Anabaptistas, sed anonymos. Curavi latine vertendam. Archetypum ad vos misi, quod diligenter ut asservetis oro. Nondum respondi, quia nescio quibus responderem. Sunt qui Adrianum (c) Authorem existimant, qui

Aaa 2 2 etiam

(c) Intelligit Hadrianum Cornelium *Haemstedium*, de quo prolixè actum est Tom. V. p. 711. sqq. Hic errores anabaptisticos in ecclesia Belgica Londini disseminare coeperat. In quam rem cum inquisivisset Grindallus, formulam illi revocationis subscribendam praescripsit, quae in ejus vitae descriptione Strypiana legitur in App. p. 4. Valde in ea memorabile est, Grindallum dici, *utriusque ecclesiae peregrinorum superintendentem*. T. d. H.

etiam (uti audio) quodam tempore, quibusdam audientibus dixit se velle Anabaptistarum nomine supplicem libellum ad me conscribere. Itaque puto compendio me facturum, si ad ipsum Adrianum Responsonem meam destinarem, ut is fratribus illis anony-
 mis tradendam curaret, sed tamen decrevi nullo illos responso dignari, nisi prius communicato cum vobis consilio, qui hujus se-
 ctæ profunditates melius novistis, quam ego propter diuturnam experientiam. De cœ-
 teris fratres, quos ad me misistis, certiores vos reddent. Opto vos in Domino quam optime valere, *Fulhamiæ* 4. Sept 1560.

Vester in Christo,

Edm. Grindallus,

Lond. Ep.



VII.

INDICES CLASSIS

quintae & sextae.

A.

Index Alphabeticus Auctorum & materiarum generalior.

NB. Numerus Romanus tomum, alter paginam tomi. L. R. librum esse recensitum denotat.

Theod. Janssonii ab ALMELOVEEN ad Joh. D'OUTREINIUM de loco Cant. VIII. 5. epistola. V. 996.

Job. Georgii ALTMANNI de GALLICINIO à Petro in aedibus Pontificis audito Observatio V. 451.

- - ad locum Act. XVI. 14. de LYDIA *Thyati-*rensi observationes V. 670.

ANGLORUM Regis, S. P. Q. Sententia de concilio *Mantuae* habendo à Paulo III. Pontifice a. 1537. indicto V. 507.

ANONYMI Meditatio de abusu scripturae sacrae in assignandis Phaenomenorum naturalium causis. V. 877.

- - Memoria exhibita in Comitibus Ratisbonensibus, qua probatur, neque Evangelico-Lutheranis ullum jus esse in bona ecclesiastica Reformatorum in Palatinatu, neque hos illis quidquam horum impertire **POSSE**. V. 1032.
 - - Ejusdem Argumenti liber Belgicus L. R. V. 1068.
 - - de felicibus Ecclesiae **BREMENSIS** primordiis, ejusque primorum Praesulum meritis Schediasma. VI. 244.
 - - V. B. S. de Caroli M. contra imagines libris, eorumque primo editore *Eli. Philii* diatr. VI. 520.
 - - Suspiria & Preces ad ductum omnium Psalmorum ante **DCCC.** annos scripta, nunc primum edita. VI. 687.
 - - 'Αλεκτορ Φωινίας ab Evangelistis memoratae defensa, vera significatio VI.]
- Samuelis BATTIERII** Observationes sacrae ad loca quaedam N. T. VI. 84.
- BELGII** Ordinum Praepotentium ad Senatum Hamburgensem Epistola. V. 1088.
- Bernensis** Gymnasii, ejusque Bibliothecae hodiernus status, VI. 716.
- Job. Christ. BIEL**, de *Levi*, Juda Thaddaeo observatiuncula. VI. 1038.
- - Animadversiones ad J. G. *Altmanni* de *Lydia*

dia Thyatirensi & Gallicinio Petri Obser-
vationes; VI. 1041.

Henrici BRENCMANNI de *Societate* quadam
literaria constituenda consilium V. 129.

Francisci BURMANNI, F. Isagoge in librum *Psal-*
morum. VI. 1.

Johannis BUXTORFII de ALCORANI edi-
tione Arabica, & ejus *versionibus* dissertatiun-
cula. VI. 271.

Philippi COUPLET, de statu & qualitate mis-
sionis SINICAE Epistola cum notis *Ma-*
turini Veysiere LA CROZE V. 618.

Maturini Veysiere LA CROZE diff. qua osten-
ditur Scriptorem quaestionum ad Ortho-
doxos, qui vulgo putatur esse JUSTINUS
Martyr, DIODORUM esse Tarfensem ad J.
L. MOSHEMIUM. V. 656.

Hermanni DEUSINGII (a) vita, & scripta,
Aaaa 4 cum

(a) In hac p. 928. lego Deusingio puero paedago-
gum contigisse Christophorum *Wittichium*, Theo-
logum ac Philosophum in Academia Lugdunensi
praeclarissimum; Sed haec nullo mihi modo con-
ciliare licet cum aetatis Deusingianae ratione. Quid
enim? Deusingius natus est ipso scribente, a. 1654.
At Wittichius jam a. 1645. Groninga discessit, ut
clarissime patet ex epistola, quam G. J. Vosius
τῷ πρῶτῳ Salmasio scripsit, quae inter ejus epistolas
a. DXXXI. legitur. Et, quod magis est, a. 1651.
jam publicum professorem egit *Herbornae*, ut ex
oratione constat, qua manibus ejus justa persolvit
Cl. Jacobus Gronovius. Haec qua ratione inter se
con-

cum ejus epistola ad Th. de H. paucis ante mortem diebus perscripta, V. 925.

Petri DINANT Commentarius in epistolam ad *Ephesos*. L. R. V. 533.

ELISABETHAE, reginae Angliae ad Regem Poloniae *Sigismundum* epistola; VI. 1161.

Jacobi FACCIOLATI de studiis linguarum cum S. Scripturae studio conjungendis O. ratio. V. 391.

FRIDERICI WILHELMI, R. B. ad Senatum Hamburgensem epistola; V. 183.

Gerhardi Eobani GELDENHAUERI Epist. ad Ecclesiae Emdanae ministros cum prolegomenis E. F. HARKENROTHII & Th. HASAEI. V. 316.

Tyonis GAUKES de *Herode a vermibus comesto* ad Act. XII. 23. diff. V. 959.

Justi Martini GLAESENERI de *intercessione beatorum* particulari problema resolutum diatribe, VI. 506.

Edmundi GRINDALLI Epistola ad Francofurtenses in causa Flandrorum religionis causa exulum, VI. 1160.

Adriani Corneli HAEMSTEDII epistola ad Henricum II. R. Galliae, V. 717.

Eilb. Folcarthi HARKENROTHII ad Th. HASAEUM epistola, in qua de Martino Fabri, & familia Hadriani VI. Papae differitur V. 117.

- ex

convenient, quisquis me docuerit, is multo maximam de me inibit gratiam. T. d. H.

- - ex eius literis ad *Th. HASAEUM* excerp-
pta. V. 707.
- - epistola, in qua nonnulla ad historiam S.
literariam saeculi XVI. spectantia exhiben-
tur VI. 538.
- Isebrandi Eilhardi HARKENROTHII* dissert. de
RACHELE, qua ostenditur eo nomine Jer.
XXXI: 15. & Matth. II: 18. non matrem
Josephi, sed urbem Judae indicari. V. 1095.
- - dissertatio de monte sublimi, in quo Christus
à Satana tentatus legitur Matth. IV: 8. VI.
969.
- Job. Christophori HARENBERGII*, fatalis Josuae
praelii ad Megiddo. 2. Reg. XXIII: 29. 30.
2. Paral. XXXV: 20-24. expositio. VI.
282.
- - de Paulo in coelo tertio *appare* comperto
ad. 2. Corinth. XII: 2. 3: 4. 7. exercit. VI.
611.
- - de Ovis paschalibus (*Oster & Eyern*) com-
mentatio VI. 1027.
- - de CRUCIS signo, symbolo salutis ad lo-
cum Ez. IX: 5. VI. 1080.
- Theodori HASAEI* de loco. Col. III: 11. ana-
lecta V. 270.
- - de LEVI à Christo ad Apostolatum vo-
cato, ad Marc. II: 14. sqq. & Luc. V: 2. sqq.
schediasma, quo eum fuisse Judam Thaddæ-
um ostenditur. V. 475.
- - de Parabola de Operariis in vinea ad Matth,
XX: 1-16. cogitationes. V. 687.

- - Vita & scripta Gerhardi Geldenbaurit; V. 318.
- - Loci cujusdam *Suidae* & *Arriani* illustratio, atque emendatio. VI. 169.
- - de ארץ צלצל כנפים ad Es. XVIII:1. in quo AEGYPTUM ea phrasi denotari, quæque illius ratio ac emphasis sit, ostenditur. VI. 360.
- - Epitaphium Ducis *Marlboroughii* VI. 571.
- - Epigrammata in *Mosheimium*; V. 216. 737.
- - de Palo carni *Pauli* dato ad 2. Cor. XII: 7. observatio VI. 647.
- - Remedium amoris VI. 764.
- - de monte sublimi, in quo *Christus tentatus* legitur. Matth. IV: 8. observatio. VI. 990.
- Jacobi HASAEI de צלצל & צלצל כנפים ad illustrationem Job. XL: 31. & Es. XVIII: 1. V. 563.
- - Ejusdem dissertationis continuatio. VI. 298.
- - animadversiones ad testimonia de MOSE, ejusque *Pentateucho* ab Ill. HUETIO collecta. VI. 769.
- Christ. Augusti HEUMANNI de docta ignorantia diff. V. 187.
- - ex ejus literis ad Th. Hasaeum excerpta V. 530.
- - Relatio de colloquio, quod *Goslarie* cum *Christ. Ostorodo* habitum est. V. 948.
- Joh. Christophori JEHRING Observatiuncula de Etymo *Osiridis* & BAAL Peor. V. 387.

- - de locis Pentateuchi & libri Estherae, in quibus Judæi nomen יהוה eruerunt, Observ. V. 987.
- Conradi IKENII de *Barbaris & Scythis*, qui memorantur Col. III: 11. Epistola p. 767,
- Bernb. Petri KARLII de *Colosso Danielis* contra cujusdam Paradoxam de IV. regibus Babylonis interpretationem diff. V. 66.
- - de *Anti-Christo non Judaico*, ad loca 2. Theff. II: 2-8. & 1. Joh. I: 18. 22. & IV: 2. 3. diff. V. 799.
- - de Hirco לִרְמִיָּהוּ ad Levit. XVI. coll. Ebr. 13. conjectura VI. 225.
- - Exercitatio ad loca quaedam N. T. Diem adventumque Domini, prænuntiantia. VI. 573.
- - de *Apocalypsi* non in Judaismo olim adimplata; qua ejus visa de *Dracone & bestiis* illustrantur. VI. 1105. sqq.
- Georgii Christophori KUSTERI de *Sanchuniathone* exercitatio. VI. 660.
- Job. Godofredi LAKEMACHERI de *Palo* carni Pauli dato ad 2. Cor. XII: 7. disquisitio. VI. 635.
- Johannis à LASCO ad *Albertum Hardenbergium* epistolarum ineditarum Sylloge cum annotationibus *Theodori HASAEL*. VI. 116.
- Job. Henrici MAJI *Vita*; V. 298. Ejusdem librorum editorum catalogus. V. 304.
- Job. Georgii MICHAELIS de precibus *Cornelii*

- iii in memoriam Dei adscendentibus ad Act.
X: 4. dissert. V. 679.
- - de *Abrahamo & Isaaco* a Graecis in Hyrie-
um & Orionem conversis diff. VI. 51.
- Joh. Laurentii MOSHEMII* pro diff. sua de tele-
sticis Apollonii Tyanaei imaginibus ad
Christfr. *Waechtlerum* epistola apologetica V.
216.
- - ad literas *E. A. Heumanni* epistola respon-
soria V. 550.
- NASSOVIORUM* epistola ad *Emdenses* in cau-
sa *Matthiae MARTINII*. V. 722.
- Frid. Christophori NEUBOUR* meditatio Juridi-
co-Critica, ad Gal. IV: 1. 2. V. 40.
- Joh. Arn. NOLTENII* Epistola ad T. d. H.
in qua de Lexico Aegyptiaco & Armenico
M. V. LA CROZE disseritur V. 744.
- Joh. Henrici OTTONIS* Vita. VI. 291.
- Gerhardi OUTHOVII* Delineatio *Monarchiae*
primae seu *ASSYRIACAE*, V. 1.
- - de voce כָּאֵר ad Ps. XXII: 17. & Sab-
batho Δευτερονόμιον ad Luc. VI: 1. Observa-
tiones. V. 411.
- - ad locum Matth. I: 19. diff. in qua non-
nulla de statuis *Rulandinis & Weichbildis* in-
serta sunt VI, 824.
- - de *Messiae principatu super humerum* ejus ad
Es. IX: 5. diff. VI: 824.
- Johannis D'OUTREINII* ad nonnulla Sacrae
Scripturae loca observationes. V. 457.
- Urbani REGII* ad *Wolffg. Rychnidum &*
Ambr. Blaarerum epistolarum triga VI.
1015. Ja.

- Jacobi Friderici REIMMANNI de Valle Josaphat conjecturae. VI. 412.*
- - Specimen lexicæ paradoxologici, in quo paradoxa de ATHEIS sistuntur VI. 796.
- Hermanni REINERS de vocum justitiae & justæ in scriptura significatione diatribe VI. 385.*
- Hadriani RELANDI de Barbaris & Scythis ad locum Coloss. III: 11. dissert. V. 253.*
- Petri von SARN, Mercurii cum angelo fœderis comparatio. V. 205.*
- Georgii SCHAUBII de Muliere Samaritana sexto viro copulata ad Joh. IV: 13. sqq. diff. V. 1005.*
- Job. Georgii SCHELHORNII de ΕΥΤΡΑΠΕΛΙΑ ad locum Eph. V. 4. Observ. V. 57.*
